

A. 1627/ JII.

Defensio Francisci
Davidis in negotio...

R. Mk. III. 72

A R. Akademia III. sz. filiale könyvtára (vel Munitorius Kollegium könyvtára).

DEFENSIO
RANCISCI DA-
VIDIS IN NEGOTIO
DE NON INVOCANDO
IESV CHRISTO IN PRECIBVS.

Deut. 6. ℣ 13. & 10 ℣ 20. Math. 4. ℣ 10.
Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Impressum in aula Basiliensi.
Anno CIↃ. IↃ. XXCI.

I/6

AD LECTOREM.

CVm mota esset controuersia de inuocatione Iesu Christi, in precibus, a. . . nos circiter decem, & publicè proposita in Ecclesia Claudiopolitana, in T syluania, anno 1572. &c. Christum in precibus non esse inuocandum, ita vt ia planè etiam apud auditores negotium illud esset sopitum. Sed anno 1578. & 79. ne- scio quo spiritu ducti aliquot scioli, qui Georgium Blandratam eo impulerunt, vt ei causæ, cuius antea fuerat fautor, sese opponeret. Ideò Faustum Sozinum, quem vo cauerat ad hoc, Francisco Dauidis opponit. Antequam dolus detegeretur Georgius Blandrata hoc consilium dabat Francisco Dauidis, videlicet: Scribat, inquit, Fran- ciscus, scribat & Faustus, mittamus vtraq; scripta ad fratres Polonos. Vbi iudicium fratrum Polonorũ habebimus, conuocabimus generalem Synodum, & quicquid Sy- nodus approbauerit vnanimi consensu, pro rato habebimus. Ita Franciscus Dauidis credens verbis Blandratæ, has sequentes propositiones scripsit, & Fausto tradidit.

DE NON INVOCANDO IESV CHRISTO IN PRECIBVS SACRIS, Theses Francisci Dauidis, propositæ Fausto Sozino.

Quandocunque vocabulum inuocationis accipitur pro cultu & fiducia, qua à Deo petimus bona corporalia & spiritualia, Iesu Christo inuocationem tribui in scriptura sacra non legi, & Iesus Christus inuocari nec debet, nec potest, propter has causas.

I. Dei mandatum extat seueriſsimum, extra Deum patrem, creatorem cœli & terræ, neminem inuocandum esse.

II. Christum Magistrum veritatis docuisse, neminem inuocandum esse præter patrem cœlestem.

III. Inuocatio vera esse definitur, quæ fit in spiritu & veritate ad patrem. Ergò falsa est quæ fit ad filium. Ioh. 4. 23.

IIII. Formulæ

IIII. Formulæ orationis directæ, non ad Chriſtum, ſed ad Patrem referuntur.

HÆC QVÆ SVPRA SCRIPTA SVNT, TRADIDIT D. FRANCISCVS Dauidis, Fausto Socino ad quæ ipſe ita reſpondit.

NON NECESSE EST IPSVMMET VOCABVLVM INVOcationis, ſeu verbum inuocandi ſcriptum legere, cum aſſeritur Chriſtum inuocatum fuiſſe, aut inuocari poſſe, Id eſt: Ab ipſo poſtquam in cœlum aſcendit aliquid petitum fuiſſe, aut peti poſſe in ſacra Scriptura legi. Sed ſatis eſt rem, ſic ſe habere alijs etiam verbis & ſententijs ibi expreſſum fuiſſe. Verum ipſum quoq; inuocandi verbum expreſſum eſt, Act. 7. & 59. vbi ſcriptum eſt: Et lapidabant Stephanum, inuocantem & dicentem, Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Neq; enim eſt quod quis dicat: Stephanum inuocaſſe Deum, quem Dominum Ieſu appellauerit. Nam profecto ſi iſta mens Stephani fuiſſet vt periculi plena amphibolia vitaretur, ſi modo Chriſtus nec inuocari poteſt nec debet, imò vt ea de re conſtare poſſet, quæ alioqui in his verbis penitus latere videtur, non Kyrie Ieſu, ſed Kyrie tu Ieſu ſcripſiſſet Lucas, præſertim cum alibi, ſæpiſſime Dominus Ieſus legatur. Deus autem hac ipſa loquendi formula, nempe Dominus Ieſu nuſquam nominetur. Sed cui dubium eſſe poteſt, Ieſum Dominum inuocatum fuiſſe à Stephano, cum paulò ante ipſum Ieſum à Dextris Dei ſtantem, quaſi ſibi opem laturus conſurrexiſſet videre ſe affirmauerit? Quod autem Stephanus à Domino Ieſu petierit, id quod Dauid & ipſe Ieſus à Deo petierunt, nullam abſurditatem continet, cum eiuſmodi poteſtatem Deus ipſe Ieſu tribuerit, vt id quod à Deo ſolo prius peti poterat, nunc ab ipſo quoq; Ieſu, citra omnem diuini nominis iniuriam, cum ſumma gloria Dei peti poſſit, vt infra ſatis planum fiet. Addendi ſupra ſcripto apertiſſimo teſtimonio ij omnes loci videntur, in quibus ſcriptum eſt inuocatum fuiſſe nomen Chriſti. Quamuis enim fortaſſe aici poteſt, ijs in locis nil aliud ſignificari, quam Chriſto nomen datum fuiſſe, collatis tamen alijs ſacrarum literarum locis, in quibus ſimpliciter de nominis alicuius inuocatione, fit mentio, & poteſtate qua nunc præditus Chriſtus eſt recte propoſita, in eam ſententiam facile deſcendo, vt ea phraſi cultus, & imploratio etiam opis ipſius Chriſti, quæ fieri poſſe putetur, ſignificetur: non ſecus atq; cum de Dei nominis inuocatione, in ſcriptura mentio fit, non modo dominatio quædam, ſed cultus quoq; & opis imploratio, manifeſtè ſignificatur. Et ſane nullum ad-huc locum in Scriptura legi, vbi inuocare nomen alicuius, phraſis hæc inquam, ita ſimpliciter

prolata, cultum & fiduciam inuocantis erga illum, qui inuocatur, non comprehendat. Quoniam cum exempli caussa Ananias Act. 9. 14. ipsi Iesu respondens ait de Saulo, quod potestatem habeat à pontificibus vinciendi omnes inuocantes nomen ipsius Iesu, non dubito quin ea phrasi eos, qui non tantum Iesu doctrinam se amplecti profiterentur, sed ipsum quoq; Iesum, tanquam ad dexteram Dei exaltatum colerent, & vbi opus esset, ad eius opem confugere non dubitarent, significare voluerit. Et hæc quidem quod attinet ad nomen inuocationis.

Quod vero ad rem ipsam, ipso nomine secluso pertinet, dico satis apparere, inuocatum fuisse Christum, & inuocationem, quæ cultum & fiduciam, qua aliquid petitur complectatur, ei in Scriptura sacra fuisse tributam, ex eo, quod Paulus in initio omnium Epistolarum suarum, non à Deo patre nostro tantum, sed à Domino quoq; Iesu Christo, gratiam, pacem, & alicubi misericordiam ijs ad quos scribit, precatur, & easdem Epistolas, plerumq; ita concludit, Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus vobis, siue vobiscum, siue etiam cum Spiritu vestro, & in fine 2. ad Thess. dicit esse signum suum in omni Epistola, & ita se scribere, Gratia Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus vobis. Quid vero aliud hoc est, quam te precari fauorem Christi? Quod haud dubio perinde est, ac si diceret, ego precor Christum vt vobis omnibus adsit. Idem probatur ex eo loco, vbi Paulus ad eosdem Thessalonicenses 1. Thess. 3. 11. scribens ait: Ipse autem Deus & pater noster, & Dominus noster Iesus Christus diriget viam nostram ad vos. Quod profecto idem est, ac Deum & Christum precari vt dirigat viam suam ad illos. Hic autem Christi inuocationem, vna cum Dei inuocatione contineri non video, quomodo negari possit. Sed à Paulo Christum inuocatum fuisse, apertißimum est iudicio meo, his verbis quæ habentur, 2. Cor. 12. 8. 9. Super hoc ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea in infirmitate perficitur. Nam Domini nomine, vt frequentißime in noui fœderis literis fit, Christum significatum à Paulo fuisse, demonstrant, quæ statim consequuntur verba: Libentißime igitur gloriabor, in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me potentia Christi. Ex his omnibus, iunctis præsertim ijs, quæ mox dicentur, satis apparet, in sacra Scriptura, inuocationem quatenus cultus est, atq; fiducia, qua aliquod bonum petitur, Christo tributum fuisse. Sed quomodo negare audemus, à Christo iam in cœlum translato aliqua bona peti posse, cum ex infinitis prope locis apertum sit eum summa potestate præditum esse, & in cœlestibus degentem, curam gerere Ecclesiæ, & suorum, & illis adesse, ac in tempore opitulari? Legantur præter id quod ipse affirmat Matt. 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, ea quæ passim hac eadem de re scripta sunt. Primum enim certum est vt Petrus Act. 2. 25. testatur, eum Iesum qui cruci affixus fuerat, non modò resurrexisse, & in cœlum ascendisse, verum etiam Dominum & Christum, à Deo fuisse factum. Iam vero si dominatur, si Christus Dei est, suprema, secundum Deum, in nos qui eius serui, & populus sumus, potentia & authoritate est præditus. Deinde Paulus Eph. 2. 20. ait, Christum constitutum fuisse in cœlis à Deo super omnem principatum & potestatem,

testatem, & virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecisse sub pedibus eius, & ipsum dedisse caput super omnia ipsi Ecclesiæ. A quo non dissentiens idem Petrus scribit eum profectum fuisse in cœlum, subiectis ipsi Angelis, & potestatibus & virtutibus. Præterea in Apocalypsi scriptum est, eum habere clauem Dauidis, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, cap. 3. 7. Et habere claues mortis & inferni cap. 1. 18. Et hæc quidem pauca dicam multis, quod ad potestatem attinet. Quod autem ad curam quam Ecclesiæ & suorum gerit, legantur quæ scripta sunt, in eadem Apocalypsi toto cap. 2. & 3. quæ præfecto talia sunt, vt vehementer eos mirer, qui Christo nunc in cœlo degenti, & regnum & Ecclesiæ gubernationem adimere non dubitant: Neq; vnquam fuerit aliquis, qui si nolit manifestissimæ veritati, pertinaciter reluctari, aliud dicere possit, quam Christum eo loco, non proprio, sed Dei patris nomine loqui. Imò iudicia extant apertissima, eum ex persona sua ea omnia dicere. Inquit enim, Vicenti dabo edere de linguo vitæ, quod est in Paradyso Dei mei. Et infra: Sicut & ego accepi à patre meo, &c. Et paulò post: Et confitebor nomen eius coram patre meo, &c. Et infra, si quis vicerit, faciam vt sit columna in templo Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, id est, quæ descendit de cœlo, à Deo meo, &c. Et postremo: Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, vt & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius. Adde quod in initio sermonis, cum vnaquaq; ex illis septem Ecclesijs scriptum sit. Non quemadmodum hæc dicit Deus, sed hæc dicit modo, qui tenet septem stellas, modo qui habet Rompheam ex vtraq; parte acutam, modo filius Dei, &c. modo aliquid aliud, per quod ipse Christus designatur, qualis ex parte apparuerat Ioanni. Et certe si non Christi proprio nomine, sed Dei tantum ea verba fieri debuissent, quid attinebat Christi personam interuenire, qui mitteret Angelum suum? An non satis fuisset, vt alias sæpissime fieri consueuit, mitti Angelum immediatè, ab ipso Deo, qui ipsius Dei nomine loqueretur? Facta sunt quidem hæc omnia authore Deo, & à Deo, Iesu Christo datum est, vt Ioanni patefaceret quæ breui futura erant, vt ex ipso libri initio liquet, sed non idcirco priuandus est Christus, regno & gubernatione illa sua in Ecclesia, de quibus ibidem manifestè constat, sibi à patre eam tum cum è mortuis ab ipso excitatus, in cœlum ascendit, tributis atq; concessis. Legatur & attente consideretur tota historia Conuersionis Pauli, & electionis ad Apostolatum, & num Christus in cœlis degens Ecclesiæ & suorum gubernationem habeat, & curam gerat, clarè apparebit, neq; enim solum ipsi Paulo, primum se conspiciendum tradit, & ei quid facere debeat iubet, sed Ananiæ quoq; per visum aperuit, & quæ ei facienda sunt iniungit, Et quod de Saulo illo, qui ipsius nomen inuocantes persequebatur constituerit, significat, & semper proprio nomine, & tanquam summum imperium habens, loquitur. Idem visus est eidem Paulo, Act. 22. 7. 18. & 21. & dixit illi, Festina & exi velociter ex Ierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. Et rursus: Vade quoniam in gentes longe mittam te. Et iterum nocte illi adorans dixit. Act. 23. 11. Confide

Paule, sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet etiam Romæ testificari. An non hæc eum qui gubernat Ecclesiam & suorum curam gerit, aperte ostendunt, & qui vt inquit author ad Hebræos, Heb. 3. 10. 21. domui suæ & Dei præsit? Ipse Christus Mat. 28. 20. dixit, se futurum cum discipulis suis, vsq; ad consummationem seculi. Quid autem est polliceri se futurum cum aliquo, nisi ei fauturum esse, illiq; affuturum? Numquid dicemus hoc perpetuo verum non esse, & Deut. 31. scriptum extare, quod Moses iam iam moriturus Iosuæ dixerit se futurum cum eo? At vero quis est qui non videat, ea non esse verba Mosis, sed ipsius Dei, aut saltem nomine ipsius Dei à Mose prolata, cum supra Deus dixerit Mosi, vt adduceret Iosuam, velle enim se ei præcepta dare, Et in illis verbis ad Iosuam dicatur. Terram quam iuraui, &c. quæ verba soli Deo, non etiam Mosi conuenire possunt? Dixit idem Christus Luc. 21. 11. discipulis suis, cum futurum esset vt adducerentur, coram Magistratibus, propter nomen ipsius, ne multum solliciti essent, quid loqui aut respondere deberent, se enim illis daturum os & sapientiam, cui non possent resistere omnes eorum aduersarij. Præterea diserte scriptum est Ioan. 10. 28. & 17. 2. Ioan. 6. 35. 40. 44. 54. Phil. 3. 21. Christum daturum nobis vitam æternam, nos à mortuis excitaturum, transformaturum corpora nostra humilia. Nec vero cum Christus dicit, se fusciturum illos, qui in ipsum crediderint, intelligendum est simpliciter, futurum vt qui in ipsum crediderint, à mortuis excitarentur: sed præterea etiã ipsum Christũ potestate sibi à Deo tradita, eos excitaturum, vt aperte demonstrat tertium caput Epistolæ ad Philip: ad finem. Et locus ille Ioan. 6. 40. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ex quo loco constat, Christum nos excitaturum à mortuis, non id tantum esse, eos, scilicet, qui ei fidem habuerint excitandos esse, & habituros vitam æternam, nam iam id ante dixerat, sed etiam ab ipso Christo id fieri debere. Quod sine dubio ideo ab ipso additum est, & alibi sæpe repetitum, vt maior inde confirmatio, eius rei quam promittebat, eliceretur: perinde est enim ac si dixisset, Nolite mirari quod ego ita constanter, vitam æternam adepturos affirmem, qui in me crediderint, nam egomet id efficiendi potestatem habebo, Egomet id reipsa præstabo. Idem loquendi modus, habetur infra eodem capite, & 54. Qui comedit meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Nunc cum appareat, Christum postquam in cœlis ad dextram patris collocatus est, non solùm summa potestate, præditum esse, sed etiam Ecclesiæ suæ curam gerere, & ea facere & facturum esse, quæ modo exposuimus, quis inficiari audet eum inuocari posse? Num quæso eius discipuli, cum propter nomen ipsius coram regibus & Magistratibus comparebant errassent, aut errare potuissent, si Dominum Iesum ad hunc modum precati essent, eumq; inuocassent? Domine Iesu qui pollicitus es, te nobis daturum os & sapientiam, cui aduersarij omnes nostri, resistere nequeant memento tui promissi, & nos in sermonibus nostris contra istos tuos & nostros hostes redde constantes. Nam si quis animam pro Christi nomine, iam iam positurus esset,

rus esset, errare aut errare posset, si eum inuocaret & diceret: Domine Iesu qui in te credentes, Vltima illa die, te à mortuis excitaturum promisisti, memento mei cum dies illa aduenerit, & vitam quam tui causa profundo, mihi reddere non obliuiscaris. Certe nisi velimus Christum, preces nostras audire & percipere non posse, non video quomodo sine apertißima, veritatis contemptione omnem inuocationem illi denegare poßimus, & ab ipso ea bona, quæ nobis largiendi potestatem à Deo consecutus est, peti posse, dicere exhorrescamus. Atqui Christum non modo preces nostras intelligere, sed omnia opera nostra nosse, quia & corda & renes scrutari ex prædictis illis duobus Apocaly: cap. manifestißimum est: Non solùm enim Ecclesijs illis singulis septem inquit, Noui opera tua, &c. sed nominatim Thiatirenst Ecclesiæ ait: Ego sum qui renes & corda scrutor. Et certe si Christus hac re dum in terris ageret præditus erat vt patet ex fine capitis 2. Ioannis, & non paucis alijs locis, abunde confirmatur: multo magis ea nunc debet esse præditus postquam in cœlis vere Christus & Dominus factus est, & caput Ecclesiæ suæ omnia in omnibus implens, Eph. 1.23. constitutus. Certum igitur est, Christum & inuocatum fuisse, & inuocari posse, vt ex sacris literis, ex quibus multo plura peti possent, satis me probare confido. Nec vero obstat id quod primo loco aduersus Axioma hoc nostrum allatum fuit, seuerum videlicet extare mandatum Dei, neminem extra Deum patrem, creatorem cœli & terræ inuocandum esse. Nam seuerum quoq; mandatum extat, vt illum solum adoremus, illiq; soli seruiamus, & tamen & Christum etiam adorare non possumus tantum, sed etiam debemus, & illi seruire tenemur, nimirum quia illum adorando, illiq; seruiendo, hunc cultum non ipsi Christo præcipue, sed Deo qui ad tantam maiestatem illum extulit, reuera præstamus. Hinc Paulus Phil. 2. 11. vt omnis lingua confiteatur, quod Dominus est Iesus Christus, ad gloriam Dei patris. Scriptura similiter extat, Maledictum esse hominem, qui confidit in homine, & tamen Christo homini, non solum confidere possumus, sed etiam tenemur: Nempe quia vt ipse Christus ait: Qui ei confidit, non ipsi præcipuè, sed Deo reuera confidit, à quo ille quicquid habet accepit, & cuius nomine & autoritate, potestate sibi à Deo tradita, sibi obedientes, vita æterna donari promisit. Non secus igitur, quamuis præceptum sit, vt Deum patrem solum inuocemus, Christum tamen inuocare possumus, quippe cum eum inuocando, non ipsum Christum præcipuè, sed Deum qui illi potestatem, nobis subueniendi dedit reuera inuocemus. Nec sanè video cur eum (quicunq; tandem ille sit) siue in cœlis, siue in terris aliqua bona nobis largiendi potestatem à Deo sit adeptus, huicq; muneri nominatim, ab ipso Deo præpositus fuerit, si preces nostras percipere queat, cur hunc inquam, nefas sit inuocare. Imò non video, quod ad Christi personam attinet, si ipsum inuocari posse negemus, quomodo hoc quod quibusdam, ad Dei gloriam spectare videtur, ipsius gloriæ maxime non officiat. Nulla enim inter homines, præstantior videtur esse Dei gloria, quam ea quæ ex sua benignitate resultat: Ingens autem Dei benignitas, erga humanum genus ea fuit, quod Christo homini, duci & principi eorum hominum, qui ad immortalem vitam ab ipso Deo vocantur, & ea

mala

mala experte, quæ sequentibus eum experiri, necesse est, tantam dederit potestatem, vt ad eum tanquam ab ipso ordinatum, confidenter in ijs, quæ ad eam vitam consequendam spectant, confugere possint. Nam vt fidem quoq; & spem nostram simili ratione aleret, atq; foueret, non propter aliam potiorem causam Deus ipsum Iesum, Dominum & Christum fecit, mundiq; iudicem constituit.

Propterea, cum iam fidei & spei nostræ nullus amplius erit locus, id est, cum ad vitam illam immortalẽ, translati fuerimus, tradet Christus regnum Deo & patri, & ipse qui nunc volente Deo Ecclesiam regit, atq; gubernat, subijcietur ei, qui ipsi potestatem omnia sibi subijciendi dedit.

Ex ijs autem quæ dicta sunt, apparet Christi iunocationem, aliam etiam ob causam concessam esse, præter eam quæ iam expressa est, inuocatio enim, quæ soli Deo debetur, ea est, qua ad ipsum, tanquam ad omnium bonorum datorem confugimus, Christum autem non in omnibus inuocare possumus, sed in ijs tantum, quorum largiendi potestatem à Deo adeptus est. Non extat autem præceptum de inuocando Christo, vt videtur extare de illo adorando, atq; illi confidendo: quia etsi eum inuocare possumus, non tamen tenemur. Christi enim inuocatio, vt modo dicebamus, ad nos in fide confirmandos pertinet, & ad fragilitatem nostram subleuandam.

Quod si quis tanta est fide præditus, vt ad Deum ipsum perpetuo recta accedere audeat, nec consolatione quæ ex Christi fratris sui, per omnia similiter tentati, inuocatione proficiscitur, indigeat, non opus habet vt Christum inuocet, quem tamen quantacunq; Dei fide præditus si inuocauerit, non modò ipsum Deum non offendit, sed eum suo facto glorificabit, eiq; reipsa gratias aget quod tantam potestatem humanæ naturæ nostræ in Christo concesserit.

Ad id quod secundo loco dicebatur, Christum ipsum veritatis magistrum docuisse, neminem inuocandum esse, præter patrem cœlestem, etsi non memini vbi id expresse scriptum sit, satis ex ijs quæ ad primum argumentum respondimus, responsum videtur. Illud addam non mirum futurum fuisse, si Christus de se inuocando, nullam dum in terris versaretur mentionem fecisset, cum vt ipse testatur, Ioan. 8. 50. gloriam suam non quæreret, sed esset alius qui quæreret pater scilicet, qui eum post hanc mortalem vitam, ad immortalitatem, summamq; potestatem euehens, satis declarauit eum posse laborantibus, propter eius nomen subuenire, & idcirco merito inuocari posse. Sed satis ipse quoq; Christus Ioan. 14. 13. 14. futurum indicauit, vt inuocari à nobis posit, cum se facturum quicquid petijssent, discipuli in nomine ipsius, cum se illis os sapientiamq; daturum, cum se cum illis futurum, vsq; ad consumationem seculi dixit, & alia non pauca, quæ huc pertinere possunt, subinde affirmauit.

Ad tertium dico, non esse definitum aut scriptum, quod vera inuocatio ea sit, quæ fit in spiritu & veritate ad patrem, Ioan. 4. 23. 24. sed simpliciter dictum fuisse, quod veri adoratores

ges adorabunt patrem in ſpiritu & veritate: Tametſi adorationem, pro inuocatione accipi eo loco concederemus, qua de re nullo modo conſtat, Animaduertendum tamen eſſet, ibi non quæſitum fuiſſe, quiſnam eſſet adorandus, ſed vtrum in hoc potius, quam in illo loco adoratio fieri deberet, & concluſum fuiſſe, non in vno potius, quam in alio loco, patrem adorandum eſſe à veris adoratoribus, ſed in ſpiritu & veritate vbiq; ſcilicet, dum modo ex animo, & vera adoretur, ex qua concluſione, non id efficitur vllo modo patris, tantum adorationem ſeu inuocationem veram eſſe, filij autem falſam, ſed veram adorationem patris eam tantummodo eſſe, quæ fit in ſpiritu & veritate, cæteras vero falſas.

Ad quartum reſpondeo: Etiamſi daretur, omnes orationis formulas directas, quæ in ſcripturis extant, non ad Chriſtum ſed ad patrem referri, non tamen inde probatum iri, Chriſtum inuocari nõ poſſe, niſi ad ea reſpondendo, quæ ſupra attulimus, & adhuc adferri poſſent, probetur, vel illum poteſtatem nobis ſubueniendi, noſtraſue preces audiendi, non habere, vel quamuis poßit ſubuenire & audire, expreſſe tamen cautum fuiſſe, ne quis eum inuocare audeat. Non mirum autem eſſet, ſi formulæ illæ orationis, ad Chriſtum non extarent, ſed tantummodo ad patrem, vt dictum eſt, cum pater non poßit tantum, ſed omnino debeat inuocari. Chriſtus autem poßit tantum, & Chriſti inuocatio non reuera ipſiuſmet Chriſti, ſed patris inuocatio ſit. Verum iam probatum eſt formulas illas extare, cum & Stephanus Dominum Ieſum inuocauerit, vt ipſius ſpiritum ſuſciperet, & Paulus eum ter rogauerit, vt à ſe Angelus ille Sathanæ diſcederet. Quod etiam ſi falſum eſſet, ſatis eſt, vt Chriſtus inuocari poßit, non directas, ſed obliquas formulas Chriſtum orandi extare, quales ſunt illæ, quæ in initio, & fine Epiſtolarum Pauli leguntur & illa 1. Theſſ. 3. 11. & ſi quæ ſunt ſimiles. De quibus iam dictum eſt.

D. FRANCISCVS
DAVIDIS FAVSTI SOCINI OBIECTIS ſic reſpondit.

IN PROBANDIS VEL IMPROBANDIS CONTROVERSIS dogmatibus, neceſſe eſt literam adferre, & id quod aſſeritur, manifeſte demonſtrare. Videmus enim ipſum Deum, in verbo ſuo hoc obſeruaſſe, vt id quod fieri velit, manifeſte præcipiat, id vero quod nolit prohibeat, vt ex Decalogi præceptis Exo. 20. conſtat. Verum præſentem quæſtionem ſumamus loco exempli. Præcipit Deus, Matt. 3. 17. & 17. 3. vt filium ſuum nobis voluntatem ipſius proponentem audiamus, contraria vero huic repudiemus.

Primum igitur omnium inquirendum eſt, an Deus pater præceperit, vt filium ſuum inuocemus, an vero ipſe filius vnquam dixerit, me inuocate, quod ſi minus in ſacris literis repertum

tum fuerit, recte admittendum non est, vt hoc dogma statuamus, Christum inuocandum esse. Non enim ego subtili illi distinctioni, potest inuocari, sed non est necesse, insisto. Si hoc Axioma recipi debet in Ecclesia, non est necesse ipsummet vocabulum inuocationis scriptum legere, verum illi similia, & quæstio nostra est de inuocatione, quomodo quæstio de inuocatione dissolui poßit, non video. Scimus in prioribus disceptationibus, hoc controuersum esse, vocabula quidem essentiæ, & personarum non inueniri in verbo Dei: at ex similibus locis scripturæ, ea probari posse, & explicandi gratia, sanctos patres, illis vocibus vsos fuisse, & vti posse, ad comprobandam illorum assertionem, quod infirmum fuisse demonstratum est, & reiectum, sic quoq; quod dicitur, etiamsi ipsum vocabulum inuocationis non legatur: tamen ex similibus posse colligi, & affirmari inuocationem Christi, debile & infirmum esse omnis veritatis amans facilimè cernere potest.

At videamus an ipsum vocabulum inuocandi Christo attributum sit, & an à Christo fiducia vera cordis bona spiritualia petita sint. Profertur exemplum ex Acto. cap. 7. at mandatum expressum nullum. An vero ab exemplis, & non per regulas iudicandum & statuendum sit, de controuersijs dogmatum tu ipse iudicabis. Sed videamus an id quod controuertitur hac ratione probetur. Textus habet, Acto. 7. 59. Et lapidabant Stephanum ita inuocantem & dicentem, Domine Iesu suscipe spiritum meum. Duo sunt quæ falso hinc colligi inuocationem Christi euincant. Primùm indefinita propositio quæ hic recitatur. Secundò ambiguitas vocabuli inuocationis, Multis enim modis probari potest inuocationem hanc, non ad Christum, verum ad Deum patrem referendam esse. Primum, quod ipse Christus hac forma vtens, ad patrem se conuertit dicens: Luc. 23. 46. In manus tuas commendo spiritum meum. Item, Quod aliæ quoq; orationes piorum eadem phrasi, non ad Christum, verum ad Deum patrem referantur. Hæc ratio adeo euidens est, vt nullis argutijs refelli poßit, perpetua enim Christi doctrina est, quod ipse docuit ac fecit, id nos quoq; docere & facere debemus. Et sicut in veteri Testamento Anathema fuit, qui aliquid addidit vel ademit ex verbo Dei, Deut. 4. 2. Deut. 12. 32. Pro. 30. 6. sic quoq; de scriptis noui Testamenti Apoca. 22. 8. dicit. Certè si vel ipsius Christi, vel patris sui voluntas fuisset, vt ipse inuocaretur, illud vel vnico verbo significasset. Inquit enim Ioan. 15. 15. omnia quæ audiui à patre meo cœlesti, significaui vobis. Quod ipse dixit & fecit, nulli dubium esse potest, nobis quoq; idem faciendum & dicendum esse: Verum ipse dixit & iußit patrem suum cœlestem inuocari, quid ergo extra præceptum & mandatum Dei patris, & Christi aliam quærimus? Diuinitus nobis commendatum Christum, non inuocandum, verum audiendum esse, præcepit pater, & vt illum magistrum nostrum, & præceptorem esse agnoscamus, & credamus illum veram, firmam, & perpetuam proposuisse doctrinam.

Secundò, textus ipse hoc verum esse euincit, Non enim stantem, verum, Deum illum cuius gloriam vidit, inuocauit, nam qui astant & ipsi petunt, & inuocant, non ab illis aliquid petitur,

cur, neq; inuocantur, vt sit sensus: Tu vere Deus qui misisti Iesum vt esset Christus, ac ob id vere Dominus ipsius es, cuius confessionis gratia, cum ego iam occidar, commendo spiritum meum in manus tuas. Nam verborum præcedentium: Ego video cœlos apertos, & Christum stantem à dextris Dei, hic potest esse sensus: Ego Stephanus, quamuis vos omnes, negetis Iesum esse excitatum à Deo receptumq; in cœlos, atq; Christum esse factum, tamen tam certo hoc scio, ac si cœli essent aperti, et iam ipsum viderem stantem seu permanentem ad dexteram Dei.

Tertiò, Cum perpetua veritas Scripturæ sacræ sit, vnum solum verum Deum, creatorem cœli & terræ inuocandum esse, omnia testimonia & exempla inuocationis eo referri oportet, nisi Scripturam sacram, contra hanc Analogiam, interpretari velimus. Quid impedit, quo minus Dominum Iesum seu Saluatorem ipsum patrem intelligere possimus? an ille non est Saluator? Imò Titum 2. 23. & 1. Tim. 1. 1. & passim alibi Saluator appellatur. Aut, is qui est Dominus Iesu non esse possit pater illius, quemadmodum Matt. 11. 25. Deum illum creatorem Dominum appellat?

Nimis exile & tenuè est, non additum esse articulum tu, ergo Kyrie Iesu non esse referendum ad patrem, sed ad ipsum Iesum: Nonne ego similiter argumentari possum, non additus est articulus, Christum designans, Tu Domine Iesu, vel ô Domine Iesu, quæ euincerent simpliciter, hanc inuocationem de Iesu Nazareno intelligendam esse. Ergo inuocatio hæc ad Iesum Nazarenum referri non potest. Huc pertinet & hoc, quod Iesus cum in terris esset, & aliquid ab eo peteretur, vt ab alijs distingueretur, qui Iesu nomine appellati fuerunt, non simpliciter Iesus dictus est, verum Iesus filius Dauid, Iesus filius Dei altissimi. Item Iesus Christus, & ijs similia. Hæc vera & certa sunt, verùm cum addictis suis opinionibus minime satisfaciunt. Demus hæc verba non ad patrem, sed ad ipsum Christum referenda esse, contra manifesta Scripturæ sacræ testimonia, quid consequetur? Christum inuocandum esse, & ab eo bona spiritualia petenda esse? Minime. Deus enim singulari reuelatione Stephano ostendit, Iesum esse Christum, & esse illum in gloria sua, illum ergo inuocabat Stephanus, & Iesum Christum esse profitebatur. Quo audito eum lapidabant, Acto. 7. 56. Vt igitur propter hanc professionem Iesum esse Christum moritur, & eum hac ratione inuocat, sic & eum testem suæ confessionis esse vult, vt spiritum suum recipiat, & tanquam iustus iudex, in illa die illum corpori suo restituat, ex præcepto & mandato Dei patris. Hoc sensu vocabulum inuocationis accipi, cum Christo tribuitur, ex præmissis certum est, & ex sequentibus patebit magis.

Vocabulum inuocationis Christo attributum, 1. Cor. 1. Rom. 10. Acto. 1. Acto. 9. & 10. & passim alibi, mutat vocis significationem, non enim de cultu aliquo, & petitione intelligitur, verum de nomine & professione. Affirmas te nunquam vocabulum inuocationis, hoc significatu legisse. At ego phrasim hanc, in veteri & nouo Testamento vsitatam esse video. Gen. 48.

16. Eſa. 4.1. *Aliud eſt inuocare aliquem vt nos ſeruet, & aliud epikalîn nominare aliquem Seruatorem.* Hoc *fit in iis, quibus ſunt indita aliqua cognomina, ob eos honores, quos à Deo habuerunt. Illud eſt in eo, qui vocatur vt opem ferat. Ad huius rei firmiorem intellectum legantur omnia Apoſtolorum ſcripta, an alibi ſcriptum ſit, aliquem inuocaſſe Ieſum poſt mortem, vt opem ferat, & tunc ſtatuere poſſumus quale ſignificatum habeat epikaliſthai cum ad Chriſtum refertur, maxime cum ſcribatur, 1. Cor. 1. cum omnibus qui inuocant nomen Ieſu Chriſti: Act. 9. 14. Omnes qui inuocant nomen tuum, è contrario autem non legamus aliam ob cauſſam Paulum fuiſſe aduerſarium Eccleſiæ, niſi quod illa Ieſum cognominaret eſſe Chriſtum, nec aliud fuiſſe in ore omnium eorum, qui ſalutem deſiderabant in omni loco, & proprio & alieno, quam Ieſum eſſe Chriſtum.*

Præterea quem certiorem interpretẽ verborum in explicatione quæremus, quam ipſa facta & geſta Apoſtolica? Quid dicit Paulus? Quid Ananias? Quid Lucas? Hoc videlicet omnes Chriſtianos vbiq; gentium Ieſum Chriſtum epikalîn. i. inuocare conſueuiſſe. Quomodo? in precibus ne ad eum pro auxilio recurriſſe? atqui nullus vnquam legitur hoc feciſſe. Si igitur ex duobus ſignificatis, quæ habet vox epikalîn vnum hoc excludîtur, remanet alterum, videlicet quod in omnibus Eccleſijs, & in omni loco vbi Chriſtiani erant fuiſſe legimus, vt epikalîn ſit Ieſum cognominare Chriſtum, ſicut Simon cognominabatur Petrus, & Ioſephus Barſabas, alia tamen atq; alia ratione.

Poſtremo, omnes conatus Pauli, cum accepiſſet literas à principibus Ieroſolymitanis, nonne eo tendebant, ne id faterentur, quod cum Stephanus negare noluiſſet, ſpectante Paulo à Iudæis eſt interfectus? Et quod primum Paulus conuerſus, fateri & concionari cœpit, nihil aliud fuit, quam Ieſum eſſe Chriſtum, & non inuocatum fuiſſe in preciibus Ieſum Chriſtum. Occiderunt inquit, Stephanus Act. 7. 52. eos qui pronuntiabant de aduentu iuſti illius, cuius vos nunc proditores & occiſores fuiſtis, & ecce video cœlos apertos, & filium hominis, Ieſum ſtantem à dextris Dei eſſe Chriſtum, quæ verba vt blaſphemiam auerſati illi aures immiſsis digitis obturauerunt, ne illa audire poſſent. Et de Paulo Lucas inquit: Acto. 9. 21. Continuo ingreſſus Paulus in Synagogas prædicabat Chriſtum, quod is eſſet filius Dei, rex & Meſsias: & ſequitur: Stupebant autem omnes qui eum audiebant, nuntiantem quod Ieſus eſſet Chriſtus: & dicebant: Nonne hic eſt, qui expugnabat Ieroſolymis eos, qui inuocabant nomen iſtud: Saulus aũt multo magis inualeſcebat & confundebat Iudæos qui Damaſci habitabant, affirmans quod Ieſus eſſet Chriſtus. Hæc eſt inuocatio illa, qua Ieſus Chriſtus omni in loco, inuocabatur & de qua ſcribitur, Domine audiui de viro hoc, &c.

Satis

Satis superq; ex ijs manifestum est vocabulum inuocationis, Christo non tribui, quando pro cultu & fiducia ea accipitur, cum à Deo bona corporalia & spiritualia petimus: Et cum vocabula non sint, neq; res ipsas existere posse, ex vocabulis enim, res ipsæ conficiuntur. Nunc videamus quomodo contra fundamentum & analogiam verbi Dei consequentiæ extruantur.

Primum est: Paulus in initio omnium Epistolarum petit gratiam & pacem; non solum à Deo patre, verum etiam à Christo, Hanc ob causam inuocandus est Christus.

Respondeo plus est, in consequente quam in antecedente, non enim omnis qui confert gratiam & pacem inuocandus est, Conferunt enim gratiam & pacem & Apostoli & septem Spiritus, & ipse quoq; Spiritus sanctus, num ergo quis legitime concludet, Apostolos, septem Spiritus, & ipsum quoq; Spiritum sanctum inuocandum esse? Absit. Antecedens quoq; falsum est, nam nullibi in Epistolis Pauli aperte dicitur, quod gratia & pax à Iesu Christo conferatur, verum à patre Domini nostri Iesu Christi, sed de phrasi illa ambigua, tecum non contendam, cum videam te magis quærere victoriam quam veritatem, Interim semper verum erit & manebit, vt omne bonum datum sit à patre luminum, Iac. 1. 17. quocunq; tandem modo flectas & reflectas textum. Verum demus Paulum, contra sui ipsius mentem, à Christo quoq; precari gratiam & pacem, non tantum à Deo patre, & sæpe Christum cum Deo patre coniungi, verum cum differentia & discretione: Quomodo Christus dat & confert bona? certe non alia ratione, quam quod ipse docuit & monstrauit viam veniendi ad patrem, & quomodo illa bona consequi possimus. Hoc vt ratum sit & confirmetur in omnibus pijs, cur non Paulus & à Christo communicari gratiam & pacem cuperet? & in illis verbis potius modum communicationis gratiæ, quam ipsam communicationem gratiæ, designari dico, vt sæpe Paulus gratiam Domini nostri Iesu Christi in nobis vt firma sit, & persistat optat.

Paulus Ecclesijs gratiam & pacem, aut eodem modo optat dari, à Christo vt à Deo patre, quemadmodum verba præ se ferunt, aut alio modo, si eodem modo, nulla inter patrem & filium erit differentia, neq; vlla inæqualitas. Certum autem est non eodem modo petere Paulum gratiam & pacem à patre & filio, summa ergo demonstratur inæqualitas. Quæritur ergo, qualis sit, & quomodo pater, quomodo filius, confert gratiam & pacē, pater vt qui autor est, & habet omnia, & omnia dat, ipse enim est Deus omnibus sufficiens, & ex quo omnia, qui solus dat & largitur omnia. Filius vero tanquam Legatus,

Mediator, miniſter, qui viam & modum monſtrauit, petendi & impetrandi, propter quam cauſſam, ſe illa dare & conferre promittit. Tam certa enim firma & vera ſunt, quæ ipſe nomine patris nuntiauit & promiſit, ac ſi ipſe coram illa daret, & exhiberet. Ideo ſæpe repetuntur hæ voces, Ego dabo, Ego faciam, cum tamen alias manifeſte, quæ ipſe facit, non ſe ſed patrem ſuum facere dicat, & quod ipſe dat, non ſe ſed patrem ſuum dare dicat, ſe habere poteſtatem, & non habere. Quæ omnia ſi hac ratione non conciliantur, duos habebimus æqualiter dantes & operantes efficaciter. Nihil enim refert, neq; impedit, ſi vnus ab alio accipit, & is qui accipit eadem bona efficaciter conferat. Differentia enim erit, non in rebus & modo conferendi, ſed in perſonis, Ille enim huic dedit, & huic ab illo accepit.

Huic primæ rationi ſimilis eſt & illa, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit vobiſcum, & cum Spiritu meo, quæ ſi forma inuocationis cenſenda eſt, oportet & Spiritum ſanctum inuocare, 2. enim Cor. 13. dicit, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus, ſit cum omnibus vobis, imò & ipſum Paulum nos inuocare oportet, contra mentem & voluntatem Pauli, qui ſibi talem tribui honorem noluit, 1. enim Cor. 16. inquit, Charitas me ſit cum omnibus vobis. Cum igitur communicatio gratiæ Chriſti, inuocatio ipſius Chriſti eſſe non poſsit, quæritur quid ſit gratiam Dei patris, nobis per Chriſtum annuntiatam & communicatam eſſe, ſemel conſtat, hoc vt firmum & perfectum ſit Paulus precatur, non quod ipſum Chriſtum inuocet & precetur, vt gratiam & pacem fidelibus det. Nam ſi Chriſtum inuocaret, & ab ipſo hæc bona dari peteret, ſibi ipſi contrarius eſſet. Nam Eph. 1. 17. hæc bona ſe à Deo patre Chriſti, in inuocatione ſua ſe petere affirmat non à Chriſto: Et Eph. 3. 14. 15. 16. 17. 18. & 20. manifeſte declarat, ſe non à Chriſto hæc petere, ſed à patre Chriſti, illi ſe genua flectere, & gratias agere, ipſi ſoli gloriam eſſe dandam, & propter beneficia celebrandum eſſe, qui hæc omnia in Chriſto Ieſu, & per Chriſtum præſtiterit, non quod Chriſtus hoc nomine inuocandus ſit.

Tertium teſtimonium ex 1. Theſſ. 3. deſumptum, vbi Paulus precatur, vt Deus pater & Chriſtus dirigat viam ſuam ad illos, minime probat Chriſtum inuocandum eſſe. Nam & Moſes, Prophetæ, imò nos ipſi etiam dicimur, dirigere vias noſtras, Iſa. 1. 8. Iere. 10. 23. Iere. 18. 11. Ioan. 1. 23. Si ergo hoc nomine extra vnum Deum, alij quoq; qui vias noſtras dirigere dicuntur inuocandi ſunt, Angeli Prophetæ, Apoſtoli & nos ipſi quoq; Quod Chriſtus viam noſtram dirigat concedo, At quod ex eo fieri colligitur, perperam fieri dico. Secus enim Chriſtus, Prophetæ & Apoſtoli, viam noſtram dirigere dicuntur, quam

Deus

Deus ipse pater: Christus dirigere viam nostram dicitur, quando ea via incedimus, quam ipse nobis præscripsit, non quod descendens de cœlis personaliter faciat.

Quartum testimonium ex 2. Cor. 12. desumptum, non ad Christum, verum ad Deum patrem refertur. Primum enim reuelationum & visionum Domini meminit. Quem vero intelligat subiicit, Deum, quo vocabulo Paulus Christum minime denotat: Eum ergo quem Dominum & Deum appellat Paulus rogat & inuocat non Christum. In precibus enim suis incessanter habitis, patrē Domini nostri Iesu Christi, non Christum se inuocasse affirmat. Quod vero ex sequentibus verbis, libentissime gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me potentia Christi, infertur, non euincit, Christum inuocatum fuisse à Paulo, virtus enim Christi, Dei patris est, Christo communicata, quam in se quoq; declarari, & demonstrari cupit. Hæc ad Christi inuocationem non spectant. Per fidem ipsemet Christus in cordibus piorum Eph. 3. 17. habitare dicitur & operari, An ideo virtus & efficacia illa fidei inuocabitur, & non potius ipse Deus pater, vera cordis fiducia?

Infirma ratiocinatio & illa est. In libris noui testamenti, plerunq; vocabulum Domini, Christo tribuitur: Ergo hoc in loco Paulus Christum inuocauit. Si enim contrarium datur exemplum & testimonium collectio non valebit. Omissis autem omnibus alijs testimonijs, si quis diligenter scripta Pauli voluet, vocabulum Domini, Deo patri sæpissime tribui, reperiet, & quidem in simili phrasi, vt 2. Thess. 4. 3. 5. 2. Tim. 1. 16. 18.

Postremo mirum est, ex hoc loco nos stabilire velle Christi inuocationem, vnde Beza probat Christum & Deum esse, & vt Deum inuocandum. Ex ijs & his similibus huc vsq; recitatis manifestum est Christi inuocati, ne vestigia quidem extare. Verum examinemus ea, in quibus ratiocinationis pondus maximum inesse videtur. Summa omnium est: Quomodo negare audebimus, à Christo iam in cœlum translato, aliqua bona peti posse, cum iam ex infinitis prope locis apertum sit, eum summa potestate præditum esse, & in cœlis delari? gentem curam agere Ecclesiæ & suorum, & illis adesse ac in tempore opitu-

Quæris quomodo negare audemus, à Christo iam in cœlis translato, aliqua petenda esse bona? Primum hoc nomine facimus, vt doctrinam Christi firmam & illibatam retineamus, qui dum in terris esset, docuit patrem suum cœlestem, inuocandum esse, & omnia bona, quibus indigemus, ab eo solo petenda esse, quam doctrinam Christus in cœlos translatus non mutauit, imò confirma-

uit,

uit, Et nos quoq; iuſsit illum ſuum patrem inuocare, & ſe quoq; idem facturum eſſe, confirmauit, vt Chriſti ſimus diſcipuli, & veri Dei patris adoratores id facere audemus & faciendum eſſe docemus.

Datum eſſe illi omnem poteſtatem, in cœlo & in terra, Matt. 28. 18. non negamus, at verba illa ſano ſenſu intelligenda & interpretanda eſſe cenſemus: Progamus, inquit enim, Nondum illi omnia ſubiecta eſſe videmus.

Omnes, omnia, cum de Chriſto prædicantur de ſubiecta materia, & non de omnibus in genere, intelligenda eſſe ſcribæ docti in regno cœlorum intelligunt. Si ſimpliciter dictum intelligitur, vel pater ſibi nullam retinuit poteſtatem, vel ita omnem filio dedit poteſtatem, vt eandem quam pater habet & filius habeat, At vtrumq; falſum eſt, & eo ſpectat vt Identitatem patris & filij ſtabiliat: quærenda ergo eſt vera interpretatio. Deus pater iam olim promiſerat, quod per aduentum Meſsiæ ſui, non ſolum Iudæos, verum etiam gentes in ſui cognitionem perducere velit, vt participes & conſortes fierent regni Dei, Idq; factum eſſe poſtquam Chriſtus reſuſcitatus ex mortuis, oſtium fidei aperuit gentibus, ex ſcriptis noui fœderis, Act. 14. 27. apparet. Cœlum & terra, gentes & Iudæi ſunt Aggæi 2. 7. 8. Iere. 23. Eſa. 15. & 66. Ioan. 1. 2. Cor. 5. Coloſ. 1. Phil. 2. & poteſtas illa, non poteſtas omnia dandi, regnandi & conferendi, in cœlo & in terra eſt, ſed miniſterij & doctrinæ per quam Iudæi & gentes Deo reconciliantur, 2. Cor. 5. 18. Matt. 28. 19.

Vera hæc & verbo Dei conſona ſi non admittitur interptetatio, duo ſtatuentur, æqualem habentes poteſtatem & regnum, contra Scripturæ ſacræ Analogiam. Nil enim refert nec im̃utat, etiamſi vnus ab alio accipiat, ſi vterque dat & exercet poteſtatem, & quilibet poteſtatem habeat, creandi, conſeruandi, regendi, tuendi Eccleſiam, remittendi peccata, donandi vitam æternam & reliqua. Deum patrem contuliſſe Chriſto hanc poteſtatem, honorem & gloriam, vt inuocetur nullibi legitur. Male igitur ex poteſtate Chriſto data inuocatio extruitur. Dat Chriſtus ex virtute patris Apoſtolis maiorem poteſtatem faciendi miracula, quam ipſe fecit, non tamen legimus ipſos inuocari debuiſſe aut poſſe, imò legimus ipſos cultum hunc diuinum reſpuiſſe, quod nunquam facere potuiſſent, ſi extra Deum patrem Chriſtus, vel alius aliquis inuocari potuiſſet, propter poteſtatem & Dominium, quam Deus illis & Chriſto contulit.

Quæſtio inter nos eſt, non de poteſtate Chriſto collata, verum de eius inuocatione, & poteſtas Chriſti à patre collata, quod inuocationem eius minime probet, quis non videt? Sic enim Prophetæ, Apoſtoli, filij Dei & iudices,

quocunq;

quocunq; in loco constituti inuocandi essent, quod minime faciendum est, si crimen Idololatriæ effugere volumus. Hæc de potestate Christo tradita, quæ nunc virtute verbi illius exercetur, obseruanda sunt, & testimonia Scripturæ distinguenda, ab ijs quæ de potestate futura Christi loquuntur, quam pater per manum filij sui exercebit, dum illum iudicem viuorum & mortuorum constituet. Quod nisi fiat ex Christo Deum patrem fabricabimus, & tempora confundemus, de quibus regula digna obseruatu traditur. Distingue tempora, & conciliabis Scripturas.

Quod ad curam quam Christus suæ gerere Ecclesiæ dicitur, attinet, etiamsi esset, & tota sacra Biblia id vnice ore affirmarent, minime tamen illum inuocandum esse comprobaret, si enim omnes qui aliorum curam gerunt extra Deum patrem, & alij inuocandi sunt, videlicet, Magistratus, patresfamilias, & omnes pij, qui & subditorum & suiipsorum, iubentur curam habere & habent, omnino consequetur inuocandos esse.

Verum vt non obiter saltem hac de re aliquid dixisse videar, de cura quam Deus pater suæ gerit Ecclesiæ, & Christus sic sentio. Deus pater inde ab initio suæ curam gessit Ecclesiæ, & geret quemadmodum dicit, Esa.46.4. Ego feci, ego saluaui, ego portabo vsq; ad senectam: Christus ex mandato patris dum in terris esset, suo ꝟ curam gessit, quemadmodum Ioan.17.12. testatur. Cum essem cum eis in mundo, ego seruabam eos nomine tuo, quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. At postquam cælos conscendit, eam curam Deo patri commendauit his verbis: PATER *sancte serua eos per nomen tuum, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos. Et Christus ipse docuit patrem nostrum cœlestem, omnem nostri curam gerere, & nos omnem nostram curam & solicitudinem in ipsum conijcere debere. Neq; legimus curam Ecclesiæ Deum patrem Christo commendasse. Interim verum est futurum esse, vt sit iudex viuorum & mortuorum, & denuo vsq; ad præfinitum tempus curam gerat suæ Ecclesiæ, & cum pater illi omnia subiecerit, quod nondum factum esse videmus, Heb.2.8.1. Cor.15.24. reddat regnum Deo & patri.*

Cum nullus omnino literaliter extet in Scriptura sacra locus, qui affirmaret Christum, nunc curam gerere Ecclesiæ, miror per consequentias, id te velle extruere. Consequentiæ enim Dialecticæ, tunc pro firmis haberi possunt, cum id quod colligitur in verbo Dei demonstratur. Si vero in verbo Dei id scriptum esse minus probatur, tanquam commentum cerebi humani reijcitur: Dictum enim est, Deut.12.32. Nec addas nec adimas.

At dicas si non eadem verba ad literam habentur: tamen similes loci passim in Scriptura sacra habentur, quæ dominium & potestatem, Christo in cœlis nunc existenti tribuunt? Respondeo. Cum ex Christi assertione manifeste probetur, Christum in cœlis existentem, curam patri suo cœlesti commendasse, & eum expectare donec pater illi omnia subijciat, non posse

hinc contrarium vere colligi: Et ſi quid tale adferri & colligi poſſet, id non contra hanc veram & firmam Chriſti aſſertionem, retorquendum eſſe, verum huic conſonam quærendam eſſe interpretationem. Primum vt talia dicta de cura & regimine Dei patris intelligantur, quod per filium exercet, doctrina enim & opera illa, non ſunt filij, ſed patris, inquit enim, Ioan. 10. 25. opera quæ ego facio non ſunt mea, ſed patris mei. Sic cum in terris eſſet, & vere ipſe agere putaretur, & paſſim etiam affirmaretur, non ipſe egit & fecit, qua nam ratione ipſe nunc in cœlis facere dicere & regnare cenſendus eſt? Cum ſecundum diuinitatem adeſſe non poſſit, non enim talem habet, quæ cœlum & terram impleat, multo minus vero, quatenus homo eſt, & circumſcriptus in cœlo, quem cœli capiunt, Act. 3. 21. non vt illum Deum patrem, qui omnia adminiſtrat, & quem cœli cœlorum capere non poſſunt, cum vbiq; ſit.

Secundo de efficacia miniſterij & verbi illius, vt Matt. 28. 20. dicitur: Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi. Item vbicunq; duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum. Et Eph. 4. 11. 12. 13. Vt autem in terris miniſterium ipſius efficax fuit per ſpiritum, extra menſuram illi datum, inquit enim ipſemet, Ioan. 6. 63. Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt: Ita idem miniſterium, nunc efficax eſt, per virtutem illius ſpiritus, vt verum ſit illud, Heb. 13. 8. Ieſus Chriſtus heri, hodie, & ipſe eſt in ſecula, peregrinis doctrinis ne circumferamini.

Tertiò vt præſens pro futuro accipiatur. Id quod enim Deus fieri decreuit per filium, tam certo futurum eſſe, ac ſi iam omnino factum fuiſſet. Hoc verum eſſe probatur ex 1. Pet. 3. 22. Profectus in cœlum, ſubiectis ſibi Angelis & poteſtatibus & virtutibus, 1. Cor. 15. 28. dicitur: Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia. Heb. 2. 8. Nondum videmus illi ſubiecta omnia. Heb. 10. 12. 13. Hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedens in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius, ſcabellum pedum eius. Ecce Petrus in præſenti, Ecce Paulus in futuro, hanc poteſtatem & ſubiectionem interpretatur, vtrumq; verum eſt, ſi hoc ſenſu accipias & interpreteris Sic Ioan. 5. 24. Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, in iudicium non venit, ſed tranſijt à morte in vitam. Ecce præſens habet vitam, in iudicium non venit, & tranſijt in vitam: & v. 28. 29. Id futurum eſſe Chriſtus affirmat. Vide Eph. 2. 6. Coloſſ. 3. 3. 4. 1. Ioan. 3. 2. Hinc etiam fit, quod & nos ſperare iubemur, & ſuſtinere, ſi enim ſuſtinebimus ſimul, & regnabimus. Neq; vero hoc Chriſto, & eius gloriæ quicquam derogat. Vt enim verbum Dei diſtinguit tempora Meſſiæ, dum in terris eſſet, ſic & nunc dum in cœlis eſt, Ante enim & poſt natiuitatem, vſq; ad annum ætatis 30. Ieſus deſignatione tantum erat Meſſias. Cum vero deſignatus Chriſtus, inire eam poteſtatem & munus incœpit, quod tribus annis durauit, ab illo priore tempore diſtinguitur. Tertio cum repulſus à ciuibus tandem occiſus eſt. Quarto cum ob id quod mortem lubens ſubire voluit, ſuper omne nomen & honorem & dignitatem exaltatus eſt. Quod cœpit ab eo tempore, quo Samaritani & alij gentiles recepti ſunt à Deo in gratiam, & Paulus

illis

illis in Apostolum cum Barnaba & alijs datus est, Petrus vero, & alij Iudæis.

Hæc vera sunt, neq; etiam impediunt, quo minus Iesus sit Christus. ita verum esse potest, & est Iesum esse ad dexteram Dei patris, & designatione habere potestatem, & imperium, imò dici regem, & caput corporis Ecclesiæ, oportet enim vt regnet, donec illi subijciantur omnia: Oportet enim vt euacuet omnem potestatem & principatum, & cum euacuauerit omnem principatum & potestatem, tunc finis cum tradiderit Deo patri regnum. 1. Cor. 15. 24. Sic Dauid designatus rex, erat & sedebat à dextris Dei, satis firmus tutusq;, donec deletis hostibus illius, reuera rex esse cœpit, sic in Christo primitiæ illius declaratæ sunt, complementum vero illius futurum est, cum omnia illi subiecta fuerint, quod nondum factum esse videmus.

Scripturæ sacræ hæc consonantia est, quæ si admittentur, non duos regnantes in cœlum inuehemus, verum vna cum Christo edocti, de Deo patre constanter affirmemus, quoniam tuum est regnum, tua potentia & gloria in secula seculorum. Matt. 6. 13. Vtinam in hac, & in reliquis disputationibus, illud tritum obseruaremus, Distingue tempora, & conciliabis Scripturas. Verum vt res manifesta fiat, locos contra veritatem & fundamentum assertionis ipsius Christi citatos examinemus, & id quod ex fundamento Scripturæ sacræ proposuimus, firmum esse demonstremus.

Adfertur primum locus ex Apo. 3. 7. Quod habeat Christus clauem Dauidis, aperiat & nemo claudat, & Petro dantur claues regni cœlorum vt liget & soluat, quod claudere & aperire est. Sic Ioan. 20. 22. Omnibus Apostolis eadem confertur potestas, & mittuntur sicut Christus ipse missus est à patre suo cœlesti: An ideo Petrus & reliqui Apostoli inuocandi, & de illis dicendum, quod nunc in cœlis curam gerant Ecclesiæ, & inuocati omnia necessaria conferant petentibus? Hac profecto ratione & sanctos Dei mortuos vt inuocemus oportet, & quod curam gerant Ecclesiæ fateri nos oportet.

Secundus locus ex Apoca. cap. 9. 18. adductus vbi dicitur: Quod Christus habeat claues mortis & inferni, nil aliud est quam quod Christus ipse explicuit Ioannis 3. 18. Qui credit in eum non iudicatur, qui aut em non credit iam iudicatus est, qui nõ credit in nomẽ vnigeniti filij, & v. 36. Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Et 1. Ioan. 5. 20. Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se, qui non credit filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de filio suo. Hæ sunt claues mortis & inferni, quas Christus ministris suis commisit, vt exerceant dum ipse peregre abest, vt ex historia Samaritani, Luc. 10. apparet: quod & Paulus 2. Cor. 2. 15. 16. docet, & has claues inferni & mortis, reuera demonstrabit & exeret, cum venerit iudicare viuos & mortuos, & tanquam iustus iudex præmia pijs vitæ æternæ conferet, Impijs vero infernum & damnationem æternam. Sicut autem Apostolos hanc ob causam nemo docet inuocandos esse ita nec ipsum Christum: futurum vero est, vt ad ipsius

tribunal genu flectamus, vt Philip.2. & Rom.14. habetur, nec tamen vt Deum inuocabimus.

Qui in Apocalypsi non Christum sed Angelum nomine Dei, à quo missus est loqui affirmant, non vanissimum quærunt subterfugium, verum perpetuam Scripturæ sacræ, sequuntur phrasim, Missi enim & personam & nomen mittentis, sepe sibi vendicant. In Apoc. vero illud fieri ex inscriptione, & titulo libri apparet: Apo.1.1. Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus, palam facere seruis suis quæ oportet fieri cito, & significauit mittens per Angelum suum, seruo suo Ioanni. Ecce Deus pater reuelat suo filio, & ideo Apocalypsis Iesu Christi dicitur, ex quibus verbis apparet, Christum in cœlis ad dexteram Dei patris, etiam nunc discere, & à patre reuelari illi aliquid, quod antea non cognouerat. Vnde & illud Colos.2.3. quomodo intelligendum sit, quod in ipso sint omnes thesauri sapientiæ, & bonitatis & scientiæ, manifestum fit. Ecce Deus per Angelum suum, manifestauit seruo suo Ioanni. Si negabis sensum hunc, loci huius genuinum esse, non contendam anxie, illud tamen dabis, angelum locutum esse in persona Christi, subinde enim repetitur, Spiritus dixit Ecclesijs. Verum quid hinc euincitur, nunc Christum suæ curam habere Ecclesiæ? Minime. Textus enim contrarium habet, verba manifesta sunt: Palam facere seruis suis, quæ oportet fieri cito, non de re præsenti, sed futura loquitur, & testimonia adducta, id verum esse confirmant: Vincenti dabo edere, Apo.2.7. non do, futurum non præsens, & sicut ego accepi à patre meo dabo, & per totum caput secundum, non præsens sed futurum vsurpatur tempus. An istud non est confundere tempora, & id quod minime probat in testimonium adducere? An non liber Apocalypseos, prophetias continet de rebus futuris, & quod ad rem, præsentem restringimus, & quid in probandis controuersis dogmatibus ex eo probabimus? De quo an factum sit, & an adhuc fieri debeat, controuertitur, præcipue, cum quæstio sit inter nos, de re præsenti non de futura?

Non laboro vt rationibus tuis, quibus euincere niteris, Christum ipsum loqui, respondeam, cum inter nos minime controuertatur, Deus ne pater, Angelus, an Christus loquatur: Verum an nunc Christus in cœlis existens curam suæ gerat Ecclesiæ personaliter, an vero quatenus semel constituto ministerio vi spiritus, cura, protectio & defensio illa administretur, quorum postremum sacris literis consonum, prius vero contrarium esse videtur. Sed ad rem ipsam accedamus. Omnia quæ in hanc sententiam, colligi & proponi possunt, videlicet Christum nunc in cœlis regnare, curam suæ habere Ecclesiæ, Christum inuocandum esse, minime probant, non igitur per consequentias, sed manifesto verbo Dei probes, Christum si non necesse sit inuocari debere. At videamus reliqua testimonia, & consecutiones inde expressas.

Tota historia conuersionis Pauli ad Apostolatum, docet nunc Christum in cœlis existentem, curam habere suæ Ecclesiæ, omnia enim quæ gesta sunt cum Paulo per Christum gesta sunt. Quid si concesserim rem ita se habere, cum illud ad complementum ministerij Christi pertinuerit, an nunc idem fieri comprobabitur? An si ita nunc quoq; fiat consequitur inuocandum esse? nulla prorsus ratione. Si enim id verum esset, Paulus in precibus suis Christum

inuocasset,

inuocasset, aut saltem docuisset formulam aliquam inuocationis Christi. At contrarium ex Eph. cap. 1. 16. demonstratur, inquit enim, Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens, in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius, illuminatis oculis mentis vestræ, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius, quam operatus est in Christo.

Examinentur verba hæc Pauli, primum omnium in orationibus suis semper quem inuocauerit, & cui gratias egerit docet, 2. Tim. 1. 3. 2. Thess. 1. 3. 1. Thess. 1. 2. Coloss. 1. 3. Phil. 1. 3. videlicet Deum Domini nostri Iesu Christi, patrem gloriæ. Sic Eph. 3. 14 Huius rei gratia flecto genua mea, ad patrem Domini nostri Iesu Christi. Neutrum Paulus dicere potuisset, videlicet in omnibus orationibus, & semper seu incessanter se orare, Deũ gloriæ patrem Domini nostri Iesu Christi. Verum aliquando etiam & Christi dicere debuisset, & saltem formulam aliquam in scriptis suis reliquisse, quibus testatum fecisset, si quando Christum inuocasset, neq; spiritum reuelationis & agnitionis, ab eo dari cuperet, si reuelatio & illuminatio initium à Christo haberet, dicere enim debebat, inuoco Christum, & illi gratias ago, quod me rexit, gubernauit, quod mihi apparuit, & me illuminauit. At huius contrarium videmus, in scriptis Pauli, id omne acceptum Deo patri refert hoc in loco, & 2. ad Tim. 1. 1. 1. Cor. 15. 10. secundum voluntatem Dei, & 1. Tim. 1. 1. Secundum imperium Dei, Saluatoris nostri, Coloss. 1. 1. per voluntatem Dei. Eph. 1. 1. per voluntatem Dei id omne factum esse affirmat, & ver. 10. Reuelationem illam à Deo patre, & secundum propositum eius, factam esse docet. Eph. 3. 8. 9. 1. Cor. 15. 9. idem confirmat. Neq; legimus Christi apparitiones, alias nisi cum in terris esset & versaretur, & deinde vt Angeli docent, quando venturus est conspicuus, ad iudicandum viuos & mortuos, Act. 1. 11. Videmus aduersariorum ineptias, qui finxerunt Christum Logon, cum in cœlis Deus esset, quod sæpe apparuerit patribus, & nos nunc in idem saxum ex incogitantia impingimus.

Dices quomodo negabimus manifestas Scripturas, vbi Paulo Christus apparuisse legitur? Nequaquam negabimus: Verum analoga quærenda est interpretatio. Oportet enim vt cœli Christum capiant vsq;, ad tempora restitutionis omnium, Act. 3. 21. & tamen apparuisse Paulo, videlicet reuelationem factam esse, vel per Angelum vel per visionem, à Deo patre præordinatam. Id verum esse ipsa Pauli historia testatur. Primo enim Acto. 9. dicitur quod Paulus neminem viderit, sed vocem audiuerit, Acto. 9. 7. & Ananiæ quod per visum apparuerit Dominus, & Acto. 16. 7. & 9. per Angelum quem spiritum Iesu nominat, & per virum Macedonem apparitionem factam esse Lucas explicat. Et Acto. 22. Ipsemet Paulus historiam illam ex verbis Ananiæ ita refert: Deus patrum nostrorum præordinauit te vt cognosceres voluntatem eius, vt videres (to dikaion) quod iustum est, & audires vocem ex ore eius. Paulus hanc visionem & apparitionem, 2. Cor. 12. ita explicat. Scio hominem in Christo ante annos 14. (siue in corpore, siue extra corpus nescio) raptum, vsq; ad tertium cœlum, & scio huiusmodi hominem,

minem, (ſiue in corpore ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradyſum, & audiuit arcana verba, quæ homini non licet loqui. Audimus raptum Paulum vſq; ad tertium cœlum, vſq; ad Paradyſum, ibiq; audiuiſſe arcana verba, ſe ignorare an id factum ſit in corpore, vel extra corpus, per quem verba ad ſe delata & audita ſunt, ipſe ignorare affirmat, locum appellat tertium cœlum & Paradyſum. Si Chriſtus apparuit & locutus eſt, non aſcendit ſuper omnes cœlos, ſed eſt in tertio cœlo ſeu in Paradyſo, neq; etiam in cœlis aſtat vere vultui Dei, verũ hæc omnia figurate dicuntur. An peccabimus ſi quoties Angeli, & homines apparuerunt, ipſe Deus apparuiſſe dicatur, & iſ qui miſſi ſunt, nomen mittentis ſibi ſurparunt. Verum ad hanc noſtram quæſtionem definiendam nil facit, ſiue Deus pater, ſiue Chriſtus apparuerit, cum apparitiones per Angelos factas legamus, qui ſe nec inuocari, nec ſibi offerri ſacrificia permiſere. Præter ſenſum ergo Scripturæ ſacræ genuinum hinc colligitur, Chriſtum inuocandum eſſe. Si vero id tam debile, & infirmum eſt, in quo totum robur diſputationis collocatur, quid de reliquis iudicandum ſit, quilibet facile intelliget.

Locus ex Heb. cap. 3. 2. adductus docet Chriſtum & Moſen, fidelem fuiſſe in adminiſtratione domus, & illam adminiſtrationem, duraturam eſſe, ſi fiduciam & gloriam ſpei, vſq; ad finem firmam retinuerimus. Quid ego aliud verum eſſe contendo? An non ſemel facta oblatione, conſumãnit ſanctos? An non ſemel inſtitutum miniſterium efficax & durabile eſt? Sed quæſo quid hæc ad inuocationem Chriſti faciunt? Si quis hinc inuocandum Moſen aſtrueret, nonne dignus eſſet reprehenſione? Cur ergo nobis tantam ſumimus autoritatem, vt quid libet ex quolibet emungamus?

Dicitur quidem Matt. 28. 20. Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſumationem ſeculi, & Matt. 26. 11. dicitur, me non ſemper habebitis vobiſcum. Item ego vado ad patrem & relinquo mundum: Diſtinctio ſecundum diuinam & humanam naturam, locum non habet, quid ergo faciemus? & quomodo diſſidentia dicta conciliabimus? Audiamus ipſum Chriſtum magiſtrum veritatis hæc explicantem, Ioan. 14. 16. cum aperte de ſuo ad patrem diſceſſe diſcipulos commonefeciſſet illi turbati, conſolationem accipiunt, de Chriſti præſentia cũ illis futura iſs verbis: Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, quæ præſentia Chriſti efficax, Dei patris virtus in conſeruatione doctrinæ & miniſterij manifeſte, cernitur & permanebit, in æternum ſeu vſq; ad conſumãtionem ſeculi. Et dictum ex Deut. 31. adductũ & interpretatum, nonne idem confirmat? Si enim Moſes nomine Dei locutus eſt, vt verum eſt, quid cum Moſes dicat: Ego ero tecum, vt intelligatur dictum Ichouah erit tecum? Cur non & eodem modo, & iſtud intelligere poſſumus, Ego ero vobiſcum h. e. rogabo patrem & dabit vobis alium paracletum, vt

maneat

maneat vobiscum in æternum. Verum quid contendo in re aperta, demus præter omnem Scripturæ sensum Christum nobis personaliter adesse, nostra curare & nobis fauere, an ex eo consequetur Christum inuocandum esse? Minime gentium. Certe Angeli, Prophetæ & Apostoli inuocandi erunt, quorum præsentiam, fauorem, & reliqua, Scriptura sacra, nobis commendat. Sic & sanctos mortuos inuocare debemus, Apo. 5.8.

Simile huic & illud est quod ex Luc. 21. 15. adfertur: Ego dabo vobis os & sapientiam. Matt. 10.19.20. sic explicatur. Dabitur enim vobis in illo momento quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, Mar. 13.11. Ne sitis soliciti quid dicturi sitis, neq; meditemini, sed quicquid datum fuerit vobis in illo momento hoc loquamini, non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus ille sanctus, Luc. 12. 12. Spiritus enim sanctus, docebit vos in eo ipso momento, quid oporteat vos dicere. Dixit Lucas quod Christus dixerit se daturum os & sapientiam discipulis, tribus in locis explicatur Spiritum sanctum locutum esse. Si Christus inuocandus est hanc ob causam, eo quod ipse dabit illis, quid respondere debeant, coram præsidibus: Inuocandus erit & Spiritus sanctus, quia magis perspicue de Spiritu sancto idem affirmatur. Nunc ergo vide an hoc argumento, Spiritus sancti inuocatio non stabiliatur. Non video præterea, quid ad nostram faciat quæstionem de Christi inuocatione, quod obijcitur: Præterea diserte scriptum est: Christum daturum nobis vitam æternam, nos à mortuis excitaturum, transformaturum corpora nostra humilia, & quis sanę mentis hoc futurum esse negabit, quando nouissimè inimica mors destruetur, & pater illi omnia subijciet? Duo digni reprehensione errores, in hac obeiectione cõmittuntur. Primum quod futurum esse dicitur, nunc fieri affirmatur. Secundo quod testante filio ipso, & tota Scriptura sacra, de virtute & efficacia patris in Christo operante docetur, id per ratiocinationem quandam infirmam, ad efficaciam & virtutem ipsius filij propriam transfertur, quasi vero non semper verum sit: Opera quæ ego facio, non ego facio, sed ipse pater in me manens. Item: Deus erat cum illo, Act. 10.38. & Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, 2. Cor. 5.19.

Quid caussæ sit in feruore disputationis, homines eo abripi, vt id quod pleno ore scribant & dicant, eneruent & refigant, proprie enim nemo dicitur Deus vnus verus, nisi pater, & omnis diuinitas illius est, & ab eo pendet, nec potest de diuinitate Christi disputari, nisi quatenus plenitudo diuinitatis patris in eo inhabitet, cum illa tu Logu diuinitas hypostatica sit figmentum Sophistarum. Hanc veritatem solidam & firmam hactenus inculcatam, destruit is,

qui

qui Chriſto propriam quandam virtutem, qua ipſe id faciat tribuit, & diuinitatem quandam tu Logu ſtatuunt, etiamſi verbis affirment illam poteſtatem, Chriſto à patre tributam eſſe, vt illius propria ſit, id quid aliud eſt, quam quod Sophiſtæ inculcant: Filius quidem generatione æterna omnia habet, ſed tamen ita, quod ſint illi propria, eamq; ob cauſſam à ſeipſo Deus eſſe, vt pater cendendus eſt. Certe hac ratione & vos concludere poteſtis: Homo Ieſus Chriſtus omnia accepit à patre, vt ſint illius propria, Ergo Ieſus Chriſtus, poſtquam omnia accepit vt illius propria ſint, iam propter acceptam poteſtatem, & prie Deus, non officio aut appellatione dici debet & poteſt. Quis vero pius amans veritatis, honoris prærogatiueq; Dei patris propugnator, non exhorreſcat, ad hæc verba, plane Chriſto contraria, vbi in hunc modum loquens inducitur Chriſtus: Ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die, Ioan. 6.39. perinde eſt enim ac ſi dixiſſet. Nolite mirari, quod ego ita conſtanter vitam æternam adepturos affirmem, qui in me crediderint, nam egomet id efficiendi poteſtatem habebo, egomet reipſa præſtabo.

Si interpretatio hæc admittitur, Chriſtus ipſe, quodq; Apoſtoli ipſius docuere, vera eſſe non poterunt. Chriſtus aſſeueranter dixit, Ioan. 5.19. Amen, Amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit patrẽ facientem, quæcunq; enim ille fecerit, ſimiliter facit filius. Chriſtus ſe nihil facere dicit, per ſemetipſum, & à ſeipſo, imò ne poſſe quidem, etiamſi maxime vellet, cum ipſe nihil à ſemetipſo, & per ſe ipſum operetur, vt alibi inquit opera quæ ego facio, non ego facio, ſed ipſe pater in me manens. Item Ioan. 5 30. Non poſſum ego à meipſo facere quicquam, ſicut audio iudico, & iudicium meum iuſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed eius voluntatem qui miſit me. Chriſtus inquit, ego nullam habeo efficiendi poteſtatem, Egomet nihil præſto, ſed pater. Hic contra Chriſtum affirmatur, egomet id faciam, egomet id reipſa præſtabo.

Sicut autem verbum Dei diſtinguit inter patrem & filium, ſic quæ dantur à patre & filio diſtinguuntur. Dat pater à ſemetipſo, ipſemet poteſtatem efficiendi habet, ipſemet reipſa præſtat, filius nunquam, non enim filius, aliter dare, docere, & operari dicitur, niſi quatenus pater illi dat, docet, & operatur, & quatenus vitæ æternæ archigos dux & monſtrator eſt: Vide Act. 26.23. 1. Co. 15. 20. Col. 1.18. 1. Ioan. 1. & 1. Ioan. 5. Acto. 3.2. Tim. 1. Coloſ. 3. & paſsim alibi: Dat ergo filius vitam æternam, reſuſcitat, quando credimus ea, quæ Deus pater per filium ſuum, de vita æterna nobis annuntiauit, & faciendo ea, quæ præcepit, nunc in ſpe poſsidemus vitam æternam, Poſtea vero vna cum Chriſto vna poſſeſſuri, Colo. 3.4.

Dato

Dato hoc quod Christus ipsemet efficiendi potestatem habet, & illemet remo iure iam Deus non officio, sed natura, & proprie dici potest, & debet, & rectius illemet Deus, qui pater est in essentia, alius vero in persona, quam alius ab illo: Cum duo dari non possint, ex verbo Dei, quorum quilibet per se facultatem habeat, hoc efficiendi: & propius vero accedere videatur, vt vnus sit Deus, qui hanc efficiendi potestatem habeat, & ea præstet, non video causam cur eodem modo, creator, saluator, conseruator, dans vitam æternam, & resuscitans dici possit, atq; Deus pater inuocandus colendus, &c. Nec; opus erat Trinitati bellum indicere, cum de Spiritu sancto Scriptura idem affirmet. Sed hæc magis deplorari, quam emendari posse video, dum nobis ipsis scientiam infallibilem, & immotam in nostris tribuimus placitis.

Comedere carnem Christi, est in ipsum credere, Ioan. 6. 53. 40. æquipollenter enim accipiuntur, comedere carnem Christi, & in ipsum credere. Credere autem in Christum non est credere, quod Christus propria sua virtute, potestatem habeat, dandi vitam æternam & resuscitandi, verum credere testimonio, quod testificatus est pater de filio, 1. Ioan. 5. 10. Resuscitarunt mortuos Elias, Elisæus, Paulus, Petrus: Quis hinc vere colligat, Eliam, Elisæum, Paulum, Petrum; inuocandos esse? Nonne de spiritu Christi quoq; dicitur, quod exaltabit corpora nostra, Rom. 8. 11. quis hinc colliget, Spiritum sanctum inuocandum esse?

Ex ijs quæ huc vsq; allata sunt manifestissimum est, Christo gloriam & honorem inuocationis non esse collatam, neq; potestatem eam, per omnia extendam esse, cum videamus nondum illi subiecta esse omnia, Heb. 2. 8. & indignum est Apostolis hoc affingere velle, cuius ipsi contrarium edocti per Christum fuerunt, in periculis enim & persecutione constituti, non Dominum Iestum vt perperam colligitur, inuocarunt, sed Deum patrem. Vt aũt tuæ collationis contrarium cernas, verba ipsa subijciam, Act. 4. 24. &c. Qui cum audissent vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum & dixerunt, Domine, tu es Deus ille, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: Qui per os Dauid pueri tui dixisti, Cur fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes coacti sunt eodem loci, aduersus Dominum & Christum eius, Coacti sunt enim vere aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem vnxeras, Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Israel, facere quæ manus tua & consilium, decreuerunt fieri. Et nunc Domine, respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, &c.

um,&c. Non à Ieſu vt tu vis hoc petunt, ſed à Deo patre, & ſi veritati diuinæ hoc conſonum fuiſſet, id in hoc loco & periculis conſtituti, maxime facere debebant. Verum cum id non fiat, quomodo id fieri poſſe colligitur.

Latro in cruce pendens, præſentem alloquebatur Chriſtum, vt ſui recordaretur quando veniret in regnum ſuum, Luc. 23. 42. Sic Ioſeph Gen. 40. 41. Tantum memento mei cum tibi benefuerit, & facias mecum miſericordiam, & ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere. Quis hinc merito concludet, Ioſephum pincernam inuocaſſe? Quis Stephanum confeſsionem de Chriſto edentem, & illum Chriſtum eſſe profitentem, Chriſtum vel inuocaſſe, vel inuocare voluiſſe?

Quæris ſi quis animam pro Chriſti nomine iam iam poſiturus eſſet erraret, aut errare poſſet, ſi eum inuocaret & diceret, Domine Ieſu qui in te credentes, vltima illa die, te à mortuis excitaturum eſſe, promiſiſti, memento mei cum dies illa aduenerit, & vitam quam tui cauſſa profundo, mihi reddere ne obliuiſcaris. Reſpondeo. Cum nullum habeat præceptum de Chriſto inuocando, ſi inuocaret erraret, Extat enim ſeuerum Dei mandatum, hoc tantum fac, quod præcipio tibi, & legimus ſanctos Dei, non Chriſto ſed Deo patri commendaſſe animas, dicere poſſemus cum Paulo, Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat, bonum certamen certaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi, corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die iuſtus iudex, non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius, 2. Tim. 4. 6 7. Sic dicere ac teſtari poſſumus de Chriſto, at illum inuocare minime. Neq; quæſtio eſt, quid poſſumus, verum quid ex præſcripto & mandato Dei facere debemus.

Certe vt Chriſtus nunquam præcepit, vt ipſum inuocemus, ita ſe exauditurum eſſe preces nunquam promiſit, verum id quoq; patrem ſuum cœleſtem facturum eſſe docuit. At demus contra veritatem Scripturæ ſacræ illum exaudire poſſe preces, & omnia opera noſtra intelligere, an ideo conſequitur Chriſtum inuocandum eſſe? Minime: Spiritus enim qui eſt in homine, omnia ſcrutatur, 1. Cor. 2. 10. & profunda Dei, & ſpiritus quoq; Dei omnia ſcrutari dicitur, & nos quoq; homines ſcrutamur vias Dei, num ergo quiſquam, vel nos homines, vel noſtrum ſpiritum, vel ipſum Spiritum quoq; ſanctum, recte ſeruiens, inuocauit, & vbi eius inuocationis formula extat: Nullibi certe, niſi apud Papiſtas, quorum veſtigiis ratiocinando iam inſiſtere incipimus, cum maximo noſtro malo, vt olim experiemur, ſatius erat Trinitatem minime impugnaſſe, quam ita præter omnem rationem eam denuo reſtituere.

Nihil

Nihil ad quæstionem & propositum nostrum facit, Christo omnem potestatem datam esse, ipsum exaltatum super omnia & ijs similia. Primum enim ex ijs non probatur gloriam & honorem cultus, & inuocationem illi datam esse, cum se solum inuocari præcipiat, & hunc honorem & gloriam, se nulli daturum esse affirmet: Et Paulus Rom. 16. 27. 1. Tim. 6. 16. hanc gloriam & cultum soli Deo patri attribuit. Si quid ex ijs iuste colligi debet, certe Deus pater inuocandus, & glorificandus est, qui in eam dignitatem Christum euexit, & nos vna cum illo, autor enim tanti beneficij agnoscendus est, eiq; soli honos inuocationis tribuendus. Cum nemo magnus & potens esse possit, nisi quem ipse euehit. Exemplum exaltationis & potentiæ Iesu Christi, sæpe à Paulo proponitur, non hoc nomine vt illū inuocemus, verum vt exemplum illius intueremur, si quando magni & potentes esse velimus, Heb. 2. & 12. Phil. 2. Eph. 4. 1. Pet. 3. & 2.

Ex responsione & collatione testimoniorum pro confirmatione inuocationis Christi adductorum, manifestum est, firmam & immotam persistere, primam meam propositionem: Quandocunq; vocabulum inuocationis accipitur pro cultu, quà Deo petimus bona corporalia & spiritualia, Christo Inuocationem tribui in Scriptura non legi, vt autem verbum Dei inter patrem & filium distinguit semper: ita & voces illas, quas Scriptura sacra patri & filio tribuit, nos distinguere oportet, alioquin patrem & filium vnum eundemq; Deum, nos facere oportet, & easdem actiones, eundem cultum, filio atq; patri tribuere: Aequalitatem enim illam nihil impediet, si filium à patre aecepisse fateamur, cum postquam accepit illius propria, ipsum ea facere, operari, illiq; exhibenda assueremus.

Firmiter persistit & persistet axioma illud: seuerum extare mandatum Dei, neminem extra Deum patrem, creatorem cœli & terræ inuocandum esse, ipso Christo magistro quoq; veritatis docente: Vos cum oraueritis dicite: Pater noster, &c. Matt. 6. 9. Huic enim contrarium mandatum nullum extat, de inuocando Christo, nisi fortasis alibi alia extent Biblia, mihi hactenus incognita. Demus vocabula inuocationis, adorationis, seruiendi, & fidei, alicubi in Scriptura sacra tribui Christo, an ideo veritas diuina euertetur: Neminem inuocandum esse, vera cordis fiducia, à nemineq; corporalia, spiritualiaq;, nisi à patre luminum, à quo omne bonum datum desuper est, petenda esse. Quid ergo discrepantibus Scripturis faciemus, & quomodo eas conciliabimus? Hac ne ratione vt Christus quoq; inuocetur, fiducia cordis in eum collocetur, & illi seruiamus, non tanquam autori, sed tanquam mediatori, aut tanquam ei cui pater ista contulit, & quia iam postquam accepit, hæc omnia propria virtute

dare, conferre & præſtare poteſt? Abſit, hæc enim pugnant cum veritate diuina, & ſibi ipſis contraria ſunt. Primùm, Mediator is eſſe non poteſt, qui ipſe poteſtatem habet, præſtandi & faciendi ea, quæ petuntur, Mediator enim petit, & impetrat ab alio, non ſibi ſed alijs, pro quibus intercedit, & quibus aliquid conferre cupit, ſi vero ipſe propria virtute, confert & præſtat, iam eius rei autor cauſa efficiens erit. Diſcrimen enim illud quod à patre acceperit, non tollit largiendi & conferendi poteſtatem, æqualitatem, eamq; bonorum collationem, nec iam Mediator, ſed author erit, eorum quæ dantur. Sic in Chriſto cum aduerſarijs duplicem ſtatuemus perſonam & naturam, vnam qua vt homo petit, alteram qua vt Deus poteſtatem habet præſtandi, & largiendi ea, quæ ab ipſo petuntur: En vnio hypoſtatica, en duæ naturæ, en totum Sophiſma ſcholaſticum?

Veritas diuina vero hac ratione inuertitur, Vt enim in creatione, conſeruatione, & ſaluatione, Deus verus qui pater eſt, ſocium nullum admittit: Ita & in inuocatione. Et ſi dabimus Chriſtum quoq; vera fiducia cordis, inuocandum eſſe, ab eoq; bona corporalia, & ſpiritualia petenda eſſe, de neceſsitate dabimus, ſolum illum verum Deum, quem Scriptura ſacra inuocandum eſſe præcepit, non eſſe tantum patrem, ſed & filium, & ſic per conſequentiam ſpiritum ſanctum, vt ſic non vnus Deus pater, ſed trias Deorum inuocetur. Et ſic in hac quæſtione Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, licet colligere, non ſolum Deo, ſed & Chriſto ſeruiendum, tanquam ei qui à patre accepta poteſtate, iam confert propria virtute omnia petentibus: Licebit itidē colligere, Ego ſolus & nullus mecum, creaui cœlum & terram, Ego ſolus ſcilicet tanquam autor, fons & origo, ſed non ſolus, ſed filius mecum, tanquam is qui à me poteſtatem omnem accepit, propria virtute, omnia faciendi. Itidem argumentari licebit, Dictum eſt, Exo. 20. 2. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, &c. Non facies tibi ſculptile non adorabis ea: Chriſtus eſt imago & ſimilitudo Dei, Ergo illius imaginem licet facere & adorare. Item: Solus Deus qui eduxit Iſraelem ex Aegypto, adorandus eſt: Chriſtus adorandus eſt, Ergo Chriſtus eſt ſolus ille Deus, qui eduxit Iſraelem ex Aegypto. Et quomodo quæſo iſta interpretatione effugiemus, implicationem contradictionis? Solus Deus adorandus, & inuocandus eſt, ille pater inquam luminum, non ſolus, verum & filius. At dices, non tanquam fons, & origo, ſed tanquam mediator, nihil refert, duo enim inuocantur & coluntur, pater enim filius non eſt, & filius non eſt pater. Differentia enim in perſonis, non in ipſa inuocatione ſtatuitur. Docetur enim à filio quoq;, vera cordis fiducia petenda eſſe bona corporalia & ſpiritualia, hac autem ratione & pater inuocatur, & ab illo bona petuntur, & bona quæ petuntur eadem ſunt, ſi non corporalia, tamen ſpiritualia, quæ in oratione Dominica à patre cœleſti petuntur, vt per Chriſtum edocti ſumus, vt hoc ordine & ratione obſeruata patrem, non ſolum patrem, ſed & filium intelligamus, cum bona ſpiritualia petemus.

Indignum

Indignum certe est in dubium vocare, veritatem doctrinæ Christi, & ipsius Dei patris prærogatiuam, Christus enim omnia quibus indigemus, & quæ nobis quo ad corpus & animam necessaria sunt, ab ipso Deo patre petenda esse docuit. Vel ea quibus indigemus, comprehensa sunt in oratione Dominica, vel non sunt: Si non sunt, aliæ formulæ & classes rerum petendarum ordinandæ sunt, quod nos salua veritate doctrinæ Christi, facere non possumus. Si vero omnia quibus indigemus, illic comprehensa sunt, omnia à Deo patre petere iubemur. Certe hanc Dei patris prærogatiuam imminuimus, dum inter patrem & filium, rerum petendarum materiam partimur. Aut enim pater Deus omnisufficiens non erit, quo se nomine insigniuit, vt omnia ipse solus abunde largiatur, aut non omnipotens solus, vt omnia necessaria largiri possit, cum & filius inuocandus sit, & quædam ab eo petenda, quæ vel à patre peti nõ debeant, vel minus necesse sit, vt ab ipso petantur, cum à filio petantur, & ipse filius inuocari debeat.

Ex ijs iam dictis manifestum esse potest, pugnantia Scripturæ sacræ testimonia, hac ratione conciliari non posse, quomodo ergo tollemus dissidium? primum quæ de Deo patre solo dicuntur, vt ea illibata ipsi soli tribuantur. Si vero illa filio quoq; attributa esse legimus, nec eo modo, nec eo significatu, factum esse intelligamus, alioquin vna & eadem actio patris & filij erit, idemq; Deus filius, qui pater est. Hoc verum esse per loca Scripturæ demonstremus. Passim in verbo Dei dicitur Deum patrem solum esse creatorem omnium, dicuntur & per Christum omnia creata esse. Si significatio vocis creationis, & modus non mutatur, Christum quoq; omnium creatorem esse quomodo negabimus? Siue enim dixero, hic fabricauit domum, & per hunc fabricata est domus, sensus in idem recidit: Significatum vocis Creationis mutatur, mutatur & modus. vocabulum mutatur. Illic enim rerum primordia describuntur, hic vero transitus & mutatio in aliam formam, vt creare idem sit quod recreare, reparare, restaurare, reconciliare, pacificare. Mutatur & modus: Non quod ipse Christus sua propria virtute & potestate fecerit & creauerit, verum Deus pater per illum. Id Christus ipse docet: Opera quæ ego facio, non ego facio, sed ipse pater viuens, qui in me manet. Petrus Acto. 10.27. Paulus 2. Cor. 5.18.19. Eph. 1.9 Eph. 3.8.9.10.11. Colos. 1.18.19. idem confirmant.

Sic passim ille vnus Deus pater Christi, Saluator esse dicitur, & quidem ita categorice, vt præter illum nullus esse censeatur, De Christo item quod ipse saluum faciet populum suum, quod nil aliud est, quam ipsum esse Saluatorem. Si eadem significatio vocis, & idem modus saluandi est, in quo differt pater à filio? Mutatur significatio vocis: Saluator cum de Christo dicitur, significat eum viam salutis monstrare & docere, ideoq; verbum salutis, Acto. 10.36. Et 13.26. appellatur. Modus quoq; mutatur: Non enim filius propria sua virtute, aut potestate saluat, aut ipse saluare aliter dicitur, nisi quia pater per illum, salutem nobis offert & confert, Luc. 2.30. Esa 49.6.

Sic Redemptoris nomen, solus ille Deus pater in verbo suo sibi vendicat, Dicitur & Chri-

ſtus Redemptio, verum vocis ſignificatio mutatur & modus, Deus enim pater ſua virtute, & poteſtate redimit, in libertatem aſſerit, nullo precio, Eſa. 52.3. At Chriſtus dato precio, Matt. 23. Modus quoq; mutatur, ille enim propria ſua virtute, hic cum datur proponitur & fit à Deo patre. Rom. 3 1. Cor. 1. Luc. 1. redemptio.

Qui iuſtificat vnus Deus eſt pater ille, eſt & Chriſtus qui iuſtificat. At vocabulum iuſtificationis attributum Chriſto, & modus quoq; mutatur, iuſtificat Deus pater, vel quia propter ſe & propter nomen ſuum, gratis remittit peccata, vel quia viuentes in obſeruatione mandatorum ſuorum iuſtos pronuntiat. Chriſtus vero iuſtificat, vel quia Dei patris hanc voluntatem nobis annuntiat, vel quia credentes illi & obedientes, vere ſumus iuſtificati, & iuſti eſſe pronuntiamur. Mutatur & vocabuli ſignificatio & modus: Deus enim pater per ſe, Chriſtus autem tanquam datus & factus iuſtificatio nobis à Deo patre, 1. Cor. 1. 30. dum nos ſibi reconciliat, & non imputat nobis delicta, & facit eum peccatum vt ſimus iuſticia Dei per illum. Vocabulum inuocationis & adorationis, paſſim ſoli Deo patri tribuitur, tribuitur & Chriſto, At mutatur ſignificatio & modus, ſignificatio vocis mutatur: Inuocamus enim & adoramus Deum patrem, dum vera cordis fiducia, bona corporalia & ſpiritualia ab eo petimus: Inuocamus nomen Chriſti, dum eum Chriſtum & Meſſiam profitemur eſſe, cumq; debito proſequimur honore, confitentes illum eſſe in gloria Dei patris: mutatur & modus, per Chriſtum enim offerimus preces patri, at non per patrem Chriſto.

Credendi & confitendi vocabulum Deo patri tribuitur, tribuitur & Chriſto, at diuerſa ſignificatione: Credimus enim in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli, cum ipſe omnia ea quæ promiſit, propria virtute & poteſtate nobis daturus ſit & largiturus. At credimus Chriſto tanquam teſti veraci à Deo patre miſſo, ſicut & Iſraelitæ crediderunt in Moſen, Exo. 14. 31. & 19. 9. Vide Ioan. 14. 1. 11. 1. Ioan. 5. 10. & paſſim alibi. Mutatur & modus quia per Chriſtum, cum fiducia iubemur accedere Deum patrem, verum per patrem non iubemur accedere cum fiducia ad Chriſtum. Vbiq; Scriptura ſacra hortatur, vt Deo viuenti & quidem illi, qui populum ſuum ex Aegypto eduxit, ſeruiamus. Paulus ſe ſeruum Chriſti appellat. Locus vero ille Coloſſ. 3. 24. anceps eſt, & Ambroſius legit, Recipietis hæreditatem Domini Chriſti, cui ſeruitis, neq; imperantis eſſe, Seruite Domino Chriſto. Vt autem alius eſt ille, qui eduxit populum ex Aegypto, cui ſeruiendum eſt, & cui ſeruimus: Ita aliud ſeruitutis genus, quo Deo Iſraelis & Chriſto ſeruimus. Deo Iſraelis ſeruimus, tanquam creatori noſtro, quem etiam vt Deum colimus, ſperantes in eum, & petentes ab illo omnia bona ſpiritualia & corporalia, cuius & ipſe Chriſtus ſeruus eſt, ſerui vero & miniſtri Chriſti ſumus, dum eius doctrinam & facta annuntiamus, extra hoc enim non ſerui, ſed amici eius eſſe dicimur, Ioan. 15. 15. Videmus & vocis ſeruiendi ſignificatum mutari & modum ſeruiendi.

Conciliatio hæc locorum Scripturæ ſacræ pugnantium, digna obſeruatione eſt. Vt enim iſ qui ſe Catholicos eſſe profitentur, ex iſs & ſimilibus colligunt Chriſtum vere & natura Deum

eſſe,

esse, eumq; inuocandum, vt patrem, sic & ex ijs, & per hæc Christum, vt hominem à Deo exaltatum inuocandum esse alij contendunt. Inuocatio autem eadem est, in vtroq; enim vera cordis fiducia, petuntur bona corporalia & spiritualia. Subiecta differunt, hic enim homo Christus, illic Deus pater. Vt in asseruenda ab illis Christi diuinitate per inuocationem peccatur, & ex eo Deus esse æternus statuitur: Ita hic, in exaltatione hominis Christi in Deum, per eandem inuocationem. Sed hæc nunc abscondita sunt ab oculis multorum: Illis fuit ab æterno Deus, & factus est homo per assumptionem & vnionem. Istis natus est homo, & factus est Deus per exaltationem, vsq; ad Dei æqualitatem. Confusio hæc Babylonica est, & mixtio duorum in vnum, & vnius in duos.

Adoratio, inuocatio & seruitus, quæ soli Deo patri competit, Christo nulliti tribuitur, eamq; ob causam de Christo inuocando, adorando illiq; seruiendo præceptum nullum extat. Et cur hoc in hoc in loco dicatur, & tamen & Christum adorare, non posßimus tantum, sed etiam debemus, & illi seruire tenemur, paulò post vero dicitur, quia etsi Christum inuocare possumus, non tamen tenemur, non video, qui talibus antilogijs, & ænigmatibus gaudet, suis se oblectet distinctionibus, & ex nigro album, & albo nigrumq; faciat, per me licet. Etsi videtur extare præceptum de Christo adorando, & illi seruiendo, vbi illud videtur adductum fuerit, suum illius videtur, soluetur per non videtur. Quæstio enim non est, an hæc vocabala alicubi in Scriptura sacra filio Dei tribuantur, verum an Christus, inuocari adorariq; debeat, vera cordis fiducia, & ab eo bona, corporalia & spiritualia, quæ omnia in oratione Dominica, comprehensa sunt, peti debeant probandum est, & non ambiguis & indefinitis differendum propositionibus quales sunt hæ: Inuocatio quæ soli Deo debetur ea est, qua ad ipsum, tanquam ad omnium bonorum datorem confugimus, Christum autem non in omnibus inuocare possumus, sed in ijs tantum, quorum largiendi potestatem à Deo adeptus est.

Si inuocatio ea, quæ soli Deo debetur ea est, qua ab ipso tanquam ab omnium bonorum datore petimus, quid petendum erit à Christo: Si ipse fons autor & largitor omnium est, quid quæso Christus dat & confert, & quæ sunt illa bona pro quibus impetrandis ipsum inuocare possumus? Christus ipse veritatis magister hanc definitionem ignorauit, docuit enim omnia, quibus indigemus petenda esse à patre suo cœlesti, & Iacobus eius discipulus errauit, cum omnia à patre luminum petenda esse asseruit, & inde omnia dari & conferri demonstrauit, non à Christo. Potius dicendum erat, quædam à Deo patre petenda esse, quædam à Christo, quædam enim pater danda sibi reliquit, quædam vero dandi potestatem, filio tradidit, vt sic & imperium, & dandi potestatem diuisam, pater cum filio habeat, vt si non tres æquali potestate, præditi in solio maiestatis consideant, secundum Papistas: tamen duo diuisam habeant potestatem & imperium, licebit & tertium hac ratiocinationis forma addere: Nam ille quoq; largitor & distributor donorum Dei appellatur, inuocemus ergo Spiritum sanctum, & petamus ab eo ea bona, quorum potestatem dandi, & conferendi à Deo patre accepit. Si licet hac ratione,

tione, partiri inuocationem & adorationem inter Deum patrem & Chriſtum, licebit & iuſtificationem, & reliqua omnia partiri inter Deum patrem & Chriſtum, vt ſic non ſolus Deus pater omnia egerit, verum Deus & Chriſtus, & non ſolum vnus Deus ſit pater, verum Chriſtus & Deus pater ſimul & coniunctim. Sed pergamus ad reliquarum ratiocinationum conſiderationem. Chriſtum etiam adorare non poſſumus tantum, ſed etiam tenemur, nimirum quia illum adorando, illiq; ſeruiendo, hunc cultum non ipſi Chriſto præcipuè, ſed Deo qui ad tantam maieſtatem, illum extulit reuera præſtamus. Reſpondeo. Si ideo tenemur & debemus Chriſtum adorare, quia ſeruiendo Chriſto, præcipuè adoramus patrem, ratio nulla eſt, cur Chriſtum adorare debeamus & illi ſeruire, Nam vt pater alius eſt à filio, ita adorando patrem filium adorare non poſſumus, niſi fingamus Chriſtum in patre eſſe, & patrem in Chriſto vnitate eſſentiæ. Si enim Deum patrem, præcipuè adoramus, Chriſtum adorando, adorando patrẽ, nõ præcipuè patrẽ, ſed ipſum Chriſtũ adorabimus. Deinde adorando homines in quibus Deus eſt, nõ ipſos homines, ſed Deũ ipſum adorabimus, & è conuerſo: An nõ hac ratione omnes Idololatræ excuſantur, qui ſe in imaginibus, nõ ipſas imagines, ſed ipſum Deũ qui per illas impræſentatur adorare profitentur. Sic ſolẽ, lunã, & ſtellas in quibus inſignis Dei bonitas, poteſtas & maieſtas elucet adorare poſſumus, Deus enim in illis eſt, & omnis illarũ actio ad illuſtrandã gloriã vnius illius veri Dei ſpectat, Ro. 1. Pſal. 33. Multa Chriſtus ipſe de poteſtate, honore, & gloria, ſibi à patre cœleſti tradita diſſeruit, multa ipſius Apoſtoli ſcripſerunt, nullus tamen ex ijs hoc axioma extruxit, nos teneri & debere Chriſtum adorare, inuocare vero non debere ſed poſſe, imò neq; ſimpliciter quiſquam concluſit, Ergo Chriſtum inuocate aut adorate, Ergo me inuocate & adorate. Certe colligere id ex verbis Chriſti & Apoſtolorum, quod in eorum ſcriptis non extat, non eſt interpretari Scripturas, ſed eſt inuertere.

Chriſtus ex profeſſo diſputat Ioan. 4. de adoratione & inuocatione vera: de ſui vero adoratione & inuocatione nullam facit mentionem, non reticet verum, Samaritanæ fatetur ſe eſſe Meßiam, & mulier ipſa inquit, Cum venerit Meßias annuntiabit omnia. Horum vero nulla annuntiat, imò contraria docet, vnde ergo hæc axiomata inferimus & colligimus? Dixit cum in terris verſaretur Chriſtus, Ioan. 15. 15. vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui, à patre meo nota feci vobis. Si hæc patris voluntas fuiſſet, vt ipſe in Chriſto adoraretur, aut Chriſtus in ipſo, certe id diſcipulis ſignificaſſet, omnia enim illis ſignificauit, quæ à patre ſuo audiuit. Certum autem eſt, quod hæc à patre ſuo non audiuit, doctrina igitur iſta vt non ex Deo patre & Chriſto ſit oportet.

Si fortaſſe vt contendimus aſſeuerauerimus, poſtquam in cœlos aſcendit omnem accepit poteſtatem, ſuper omnia exaltatus eſt, hanc conſecutus eſt dignitatem, vt adoretur et inuocetur, nequaquam conſiſtere poterit. Nam poſt ſuam in cœlum aſcenſionem, miſit diſcipulis Spiritum ſanctum, per quem omnia illis annuntiauit. Sed hic nec alia, nec prioribus contraria docuit, Nam de patre accepit, et illum glorificauit, non docendo in Chriſto Deum patrem

præcipue

præcipuè adorari, aut Christum adorandum et inuocandum esse, verum in doctrina per Christum tradita Apostolos confirmauit, et sic nos quoq; suos discipulos futuros esse, dixit, et patrem suum cœlestem glorificaturos, si sermonem illius seruauerimus, non si Deum patrem in Christo adorauerimus, aut Christum in Deo patre. Sed videamus quibus testimonijs, et rationibus confirmetur, adorando Christum et illi seruiendo, hunc cultum non Christo præcipuè, sed ipsi Deo præstari. Paulus inquit, Phil. 2. 11. vt omnis lingua confiteatur, quod Dominus est Iesus Christus, ad gloriam Dei patris.

Summa verborum Pauli est: Sectemini charitatem & humilitatem, idq; ab exemplo Christi. Hic cum multis donis à patre suo cœlesti ornatus fuerit, ijs abusus non est, nec proprium commodum & honorem quæsiuit, nec diuinum sibi vsurpauit honorem, quod rapere est sibi æqualitatem Dei. Si Paulus in hoc loco Christum inuocandum esse contendisset, minime contrarium posuisset, ideo subijcit, exinaniuit se, humiliauit se, formam serui assumsit, factus est obediens, &c. Quæ omnia loco explicationis subijciuntur, quid sit, non rapinam arbitratus esse æqualem Deo. Post humiliationem & mortem eius, exaltationem describit, quam non in adoratione & inuocatione eius fundat, verũ quod ereptus ex morte, declaratus sit iudex viuorum & mortuorum, imò Messias & Dominus, hoc est, nomen illi datum, h. e. quod omnis lingua confiteatur, quod Iesus sit Christus ad gloriam Dei patris, Vide Acto. 2. 36. Facit enim ad gloriam Dei patris quod Iesum filium suum, Christum esse designauit, declaratum esse quod sit Christus, & in eo maxime laborarunt Apostoli, vt euincerent ex Scripturis sacris, Iesum esse Christum, hanc ob causam Ioannes toties vrget, qui credit quia confitetur Iesum esse Christum ex Deo natus est, &c. Siue vero legas, quod Iesus Christus Dominus sit, in gloria Dei patris, siue ad gloriam Dei patris, nihil refert, vtrobiq; enim idem docetur, post humiliationem secutam esse exaltationem, quod & Christus ipse sæpe docuit, oportuit filium hominis pati, & sic intrare in gloriam suam, quæ gloria non adorationis est & inuocationis, qua vera cordis fiducia, bona corporala & spiritualia, ab ipso peti debeant, sed sententiam esse vt viuorum & mortuorum iudex esse declaretur, & demonstretur vt omnium cœlestium & terrestrium & inferorum genua coram eo flectantur. Certe Paulus ne somniauit quidem, vel in hoc vel in alio loco de adoratione & inuocatione Christi, fuisset enim falsus doctor, si ex ista genuflectione adorationem & inuocationem Christi astruere voluisset. Inquit enim, quod in omnibus suis orationibus, flectat genua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, non autem in omnibus suis orationibus genua flectere potuisset, ad patrem Domini nostri Iesu Christi, si quoq; sua genua in inuocatione ad Christum flexisset, & plane contrarium eius rei docuisset, quod ipse fecisset, quod minime Paulo qui vas electionis erat conueniisset. Male igitur ex verbis Pauli colligitur, quod ipse nunquam fecit vel docuit. Sic vocabula confidendi, traditæ potestatis & similia, inuocationem minime confirmant, aliter enim ea Christo, quam Deo patri tribuuntur, & ex ambiguis non posse firmiter concludi, quis non videt?

Sed quid ſibi volunt verba illa, ex præmiſſis illata, nec ſane video, cur eum quicunq; tandem ille ſit, qui ſiue in cœlis, ſiue in terris, aliqua bona nobis largiendi poteſtatem à Deo adeptus ſit, huicq; muneri nominatim, ab ipſo Deo præpoſitus fuerit, ſi preces noſtras percipere queat, cur hunc inquam nefas ſit inuocare?

Demus hæc omnia ex ipſis Scripturæ ſacræ penetralibus deſumpta eſſe, quis non videt, confuſe & indiſtinctè proponi? Quæritur enim etiamſi acceperit poteſtatem largiendi, an ea talis & tanta ſit, vt ſemper quolibet in loco & omnibus illa dare, & conferre poſſit. Solus enim Deus pater, hanc habet poteſtatem, et eam ſoli ſibi vendicat, & quamcunq; aliis contulit poteſtatem, id non ab æterno, nec inæternum vt daret, conſtituit, verum ſecundum ſuam voluntatem & beneplacitum, & quidem ad tempus. An nunc in cœlis exiſtens preces noſtras exaudiat, & an bona conferat, quemadmodum poteſtatem largiendi à patre accepit, controuertitur. Quod etſi ſano Scripturæ ſacræ ſenſu admitti poſſet, quod videlicet conferat & largiatur bona promiſſa, videndum tamen eſt de modo, aliud enim ex verbo Dei elici non poteſt, niſi miniſterium illius à Deo patre inſtitutum efficax eſſe et per illud conferri bona & dari hominibus. Quod vero ipſe nunc in cœlis exiſtens preces noſtras exaudiat, aperte dici & affirmari non video, niſi id per conſequentias aliquas colligamus.

Legimus Acto. 10. Poſt Chriſti in cœlum aſcenſum, vbi iam plenam poteſtatem acceperat Chriſtus à patre, Cornelij preces exauditas fuiſſe, non à Chriſto ſed à Deo patre, & Eleemoſynas illius, non ad Chriſti, ſed ad Dei patris conſpectum peruenisſe. Si forte de Angeli legatione dubitari poſſet, Petrus eadem verba recitat, qui tamen vt ſtudioſiſſimus erat præceptoris ſui Chriſti, ita eius & honorem & gloriam omnibus modis promouere ſtudebat. Si hoc de Chriſto verum eſſet, videlicet Chriſtum preces noſtras exaudire, & poteſtatem habere largiendi ea quæ petimus, certe Cornelium hac de re inſtituiſſet, ſi non primo quoq; tempore tamen poſt vbi Chriſtum cognouit, & cum multa præclara, de Chriſto diſſereret, Horum omnium obliuiſcitur. Ex quibus manifeſtum eſt, Chriſtum preces noſtras exaudire, poteſtatemq; habere nobis largiendi ea bona, quæ à Deo patre accepit, minime ex analogia verbi diuini demonſtrari poſſe: Dum in terris eſſet promiſerat diſcipulis ſuis, ſe rogaturum patrem, vt alium paracletum illis mitteret, Ioan. 14. 15. 25. quod Petrus factum & impletum eſſe confirmat Acto. 2. 33. Minime tamen ex eo concludit, Chriſtum inuocandum eſſe, cum ſciret cultum diuinum illi Deo ſoli, qui Iſraelem ex Aegypto eduxit competere. Ex conſenſu igitur verbi Dei dico, multos ex Angelis, Prophetis & Apoſtolis certo operi deſtinatos fuiſſe, habuiſſeq; poteſtatem, conferendi ea bona quæ à Deo acceperunt, neq; tamen adoratos aut inuocatos fuiſſe.

Obijcitur lædi & impediri gloriam Dei patris, ſi Chriſtus non inuocetur, In eo enim maxime amplificari gloriam Dei, ſi agnoſcamus Chriſto homini, omnia ea data eſſe, quæ ad ſubleuandam inopiam noſtram, & alendam fidem noſtram ſpectant, hancq; ob cauſſam hæc omnia ab eo petenda eſſe, ipſumq; inuocandum.

Si omnes

Si omnes locos verbi diuini, qui vel de gloria Dei patris, vel Christi, aut vtriusq; glorificatione adferri possunt, perscrutauerimus, nullibi reperiemus inuocando Christum patrem glorificari, aut fatendo Christo homini omnia nobis conferendi potestatem collatam esse, alere in nobis fidem, aut hac ratione nos confirmari. Verum eius contrarium. Glorificatus est Deus pater in Christo per miracula, per doctrinam & resurrectionem, in eo quod agnitus sit esse Messias, & filius Dei, & glorificabitur in eo, quod constitutus iudex viuorum & mortuorum, in iusticia & æquitate mundum terminabit. Dixit Christus, Ioan. 15. 8. In hoc glorificabitur pater meus cœlestis, vt sitis mei discipuli, & fructum multum feratis. Item Ioan. 14. 15. Si sermonem meum seruaueritis. Item Matt. 5. 16. luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. De sui vero adoratione aut patris glorificatione per Christi inuocationem altum silentium.

Ex professo Christus Ioan. 5. 22. 23. De gloria & honore, quæ illi præstanda sit, quam à patre suo cœlesti accepit ijs verbis: Neq; enim pater iudicat quenq;, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum. Manifeste docetur, in eo glorificari patrem & filium, si cognoscatur esse iudex viuorum & mortuorum, & in eo honorificari filium sicut patrem, qui illum misit. Si hæc honorificatio ad adorationem & inuocationem transfertur, eodem modo filium quo patrem adorare & inuocare tenemur, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem, locum non habet hic illud, patrem adorandum & inuocandum esse, tanquam autorem & fontem, filium vero tanquam mediatorem, non enim erit adoratio & inuocatio similis.

Vt autem veritas hæc illustrior reddatur, expendamus testimonium Ioan. ex cap. 12. hac de re differentis. Clarifica pater nomen tuum, venit ergo vox de cœlo dicens, Et clarificaui & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitru esse factum, alij autem dicebant Angelum esse locutum ei, Respondit Iesus & dixit: non propter me hæc vox venit, sed propter vos, nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Ioan. vero 13. 31. Cum ergo exiuisset Iesus, dixit: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum, in semetipso, continuo clarificabit eum.

In ijs duobus testimonijs aperte docetur, glorificationem Dei patris in Christo, & Christi in patre non in inuocatione & adoratione Christi consistere, verum in morte & resurrectione eius, qua per potentiam in Spiritu sanctifi-

XVIII/4

ficationis, declaratus eſt eſſe filius Dei. Etſi omnes clarificationes præcedentes, & ſequentes conſiderauerimus, hoc verum eſſe demonſtrari poteſt. Naſcitur Chriſtus, canũt Angeli, gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, Lu. 2. 7. 33. nihil de inuocatione & adoratione Chriſti, Hic omnino neceſſe erat Angelos, paſtores, & reliquos edocere, qui hoc nomine euocati erant, vt Dei patris ſummum hoc beneficium conſiderarent, quod illis Meſsiam iuxta ſua promiſſa exhibuiſſet: Et cum multa præclara de nato Meſsia dixiſſent, nunquam docuerunt, adorate & inuocate Chriſtum, nam eum adorando, non eum præcipuè, ſed ipſum Deum patrem adorabitis & inuocabitis.

Sic Petrus Act. 3. 25. 26. Vos eſtis filij prophetarum & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, vobis primum Deus ſuſcitans filium ſuum miſit benedicentem vobis, vt conuertat ſe vnuſquiſq; à nequitia ſua: Ecce glorificationem Chriſti factam eſſe & fieri, non in eo quod pater in Chriſto adoretur, aut ipſe in patre, ſed vt Chriſti doctrinam amplectamur, & à nequitia diſcedamus.

Paulus ad Tit. 2. 11. Ingens Dei beneficiũ in Chriſto & per Chriſtũ nobis collatum prædicat iſs verbis: Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiẽs nos, vt abnegantes oẽm impietatẽ & ſecularia deſideria, ſobrie & iuſtè, & pie viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatã ſpẽ & aduentũ gloriæ magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Conſiderationem beneficij illius, in ſancta & ſobria vita, & in expectatione illius collocat, nõ in eo vt Chriſtũ adoremus & inuocemus. Si clarificationẽ Chriſti in eius inauguratione factam in Baptiſmo cõſiderauerimus, Mat. 3. 16. ſi in monte Tabor, ſi poſt eius reſurrectionem & aſcenſionẽ, quid aliud habebimus, niſi illud, Chriſtũ audiendũ eſſe, & cognoſcendũ quod filius Dei dilectus ſit, in quo patri cõplacuit, nõ illũ adorandum & inuocandũ eſſe. Annon in eo Deus pater glorificatur, & Chriſtus, ſi ꝙ ipſe prȩcepit facimus, & id verũ eſſe profitemur? Apoſtoli quaſi prȩſcij rerũ futurarũ, inſtinctu Spiritus S. occurrere voluerunt iis, qui aliquo modo negaturi eſſent, Ieſum eſſe Chriſtum, ex illoq; Deum, qui inuocandus ſit, & quod conſcendens cœlum ſummam adeptus ſit poteſtatem, conſtituerunt. Petrus enim Act. 3. 14. 15. 16. vſq; ad 21. glorificationem Chriſti à Deo patre factam, & eius in cœlum aſcenſionem explicans, non vt ad eum nunc confugiamus, & confidenter ab eo petamus infert, verum vt in ſeria pœnitentia viuamus, & per ſpem firmam tempora refrigerij expectemus, vſq; ad illa enim tempora neceſſe eſſe, vt cœli illum capiant, non vt hæc vel illa eum facere putemus, aut nos illum inuocare & adorare debeamus. Certe vt non perperã in Alchorano fingitur, Chriſtum ſuis cultoribus opem ferre non poſſe, quia contra eius doctrinam, & ma-

niſeſta

nifestas assertiones, ipsum Deum esse falsi sint, cum tamen ipse se Dei filium esse professus sit. Ita merito reprehenduntur ij, qui Christum adorandum & inuocandum esse docent, cum ipse patrem suum inuocandum esse præceperit. Gloria & glorificatio, quæ Christo à patre tradita & cõmunicata est, non est eius adoratio & inuocatio, sed declaratio eius, quod sit Messias & filius Dei. Ideo gloria ea, quæ solius Dei est, distinguitur ab ea gloria, quæ filio communicata est, illa inuisibilis vt dicitur: Non poteris videre gloriam meam. Hæc quæ visa fuit, vt: Vidimus gloriam eius. Et 2. Pet. 1. 16. 17. hæc communicata & data filio, illa nulli, vt Ioan. 17. Heb. 2. Esa. 42. 8. Ego Dominus hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Quæ est illa gloria quam nemini dat? Creationis videlicet conseruationis, regiminis, defensionis & cultus seu inuocationis.

Hoc verum esse ex perpetuo Scripturæ sacræ consensu liquet, quod se solum creatorem, conseruatorem esse affirmat, se solum inuocandum esse contendit, ideoq; in Decalogo, *simili forma vtitur:* Ego Dominus sum Deus tuus, qui eduxi te ex domo seruitutis Aegyptiæ: Non habebis Deos alienos, non facies tibi sculptile, non adorabis, non coles ea. Item. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Si Christus inuocandus & adorandus est, duo manifeste pugnantia cũ verbo* Dei *admittentur. Primum:* Christum esse illum vnum & verum Deum, qui Israelem ex Aegypto eduxit, *quod falsum esse constat ijs qui sacra legunt* Biblia, *& aperte confitentur, vnum illum* Deum Israelis esse patrem Christi, non tres simul videlicet patrem, filium, & Spiritum sanctum, neq; duos simul videlicet filium & patrem. Hanc enim gloriam & honorem, alteri non dat, alius enim & alter ab illo filius est, seipso attestante, alius est pater qui de me testimonium perhibet. Secundum igitur hoc euinceretur, Deum alteri dedisse gloriam suam, quod fieri minime potuit, cum dicat, Gloriam meam alteri non dabo. Si igitur gloriam cultus & inuocationis Christo contulisset, illius gloria minime propagata fuisset, verum prostrata, neq; Christi vlla esset gloria, nec vllam consecutus esset. Paulus enim aperte docet, Phil. 2. 7. 9. quia æqualitatem non rapuit, formam serui assumpsit, habitu inuentus est homo, hanc ob causam illum Deus exaltauit, & donauit illi nomen supra omne nomen. Ecce Propheta Esaias, Ecce Paulus, imò Christus ipse contraria docent.

Præmisso simile & illud est quod subijcitur: Nam vt fidẽ quoq; & spẽ nostrã simili ratione aleret, atq; foueret, nõ propter aliã potiorẽ causam Deus ipsum Iesum Dominũ & Christũ fecit, mundiq; iudicẽ cõstituit. Prȩterea cum iã fidei & spei nostræ nullus amplius erit locus, id est, cũ ad vitã illã imortalem translati fuerimus, tradet Christus regnũ Deo & patri, & ipse qui nunc volente Deo Ecclesiã regit, & qui gubernat, subijcietur ei, qui ipsi potestatẽ omnia sibi subijciendi dedit. Inuocando & adorando Christũ, spes & fides nostra nõ fouetur

& alitur, 1. Cor. 2. 5. dicitur. Fidem noſtram in virtute Dei, non in Chriſti inuocatione ſitam eſſe, Phil. 3. Fides Chriſti ex Deo eſſe dicitur, 1. Pe. 1. 21. Res explicatur iſs verbis, qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides veſtra & ſpes eſſet in Deo. Aperte Petrus docet ſpem, fidem noſtram, ali & foueri in Deo, qui ſuſcitauit eum à mortuis, & hanc ob cauſſam Deum cum Chriſto omnia feciſſe, illum exaltaſſe, gloria & honore coronaſſe, vt ſpes & fides noſtra, ſit in Deo patre, quia cum Deus pater, tot & tanta operatus ſit in Chriſto, ſiue per Chriſtum, credidimus in Deum patrem, quod nobis quoq; tot & tanta daturus ſit & potentiã ſuam declaraturus. Eandem ſententiam Paulus, Eph. 1. 19. 20. 21. 22. 23. confirmat.

Qui diligentius hos & ſimiles locos expendet, deprehendet non in Chriſtum, ſed in Deum patrem fiduciam conuertendam eſſe, indeq; materiam optime ſperandi ſumendam. Si enim in Chriſtum crediderimus, quod communia omnia cum illo habituri ſimus, ſicut filium ſuum, ad vitam immortalem traduxit, ſic nos quoq; immortalitate donabit, præcipue cum hæredes Dei ſimus, cohæredes autem Chriſti.

Alimentum & robur fidei non aliunde, niſi ex verbo Dei dependet, fides autem in Chriſtum, ſi verbo Dei credimus ex ipſo Deo patre eſt, & quæcunq; ille habet ab ipſo accepit, neq; vlla bonorum communicatio eſſe poteſt, niſi inde hauriatur. Quomodo fides noſtra fulciri poſsit, ex eo quod Chriſtus ea bona largiatur, quæ largiri non poteſt, niſi patre dante & largiente non video. Si vero certo credimus, qui Chriſto omnia bona contulit, quod ſi Chriſti veſtigia ſequamur, nobis quoq; largiturum eſſe omnia, & conformes redditurum imagini filij eius, hinc demum ſpem noſtram foueri exiſtimamus.

Nihil plane probat nec conſequitur, cum nullus erit locus fidei & ſpei, Chriſtus reddet regnum Deo patri, ergo hic in terris, ſpei & fidei noſtræ robur in inuocatione Chriſti conſiſtit. Imò contrarium concluditur, Reddet regnum Deo patri, Ergo firma fides & ſpes in Chriſto non conſiſtit, cum & ipſe Chriſtus ſuam in patrem collocaret fiduciam, per eum doceatur, & regnum ſuum, ſeu nos quoq; vna ſecum patri ſubiecturus ſit. Quomodo vero nunc in cœlis regnet, & quomodo non regnet, ſed expectet vt illi omnes ſubijciantur hoſtes, quomodo item regni illius ſit finis, quomodo non, ſcriba doctus intelligit. Regnat in miniſterio & doctrina, quod in nomine patris ſui ſeu ex mandato ordinauit, non regnat, ſed expectat, vt inimici illi omnes ſubijciantur nunc perſonaliter & realiter exiſtens in cœlis, finis vero erit regni Chriſti, cum illi omnia ſubiecta fuerint; Non erit finis regni illius, donec ſedebit in ſede Dauid patris

ſui,

sui, & regnabit in domo Iacob. At contra erit finis, cum illi omnia subiecta fuerint. Sic & reliqui loci Scripturæ, de Christo & eius officio, constanter conciliari poterunt, si illum à patre distinxerimus, & certa & destinata tempora, cum natiuitatis illius, tum potestatis & regiminis constituerimus, alias enim & ipsum & regnum illius, & omnia quæ Scriptura Christo tribuit, vt æterna sint, & Deo patri æqualia oportet. Si vero iuste iudicare volumus, hæc omnia ex manifesto verbo Dei per nos vt falsa refutata sunt, vt igitur veritas vincat, & mendacium refellatur necesse est.

Locus ille, 1. Cor. 15. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius, non euincit Christum nunc in cœlis regnare, nisi vna cum Papistis illud sede à dextris meis, hoc est, regna mecum æquali potentia interpretari velimus. Quis negabit Paulum, ibi differere de resurrectione cornerum nostrorum, sumpta probatione & confirmatione à Christi resurrectione? Christus inquit, resurrexit, & est primitiæ eorum qui obdormierunt, Ergo & nos resurgemus, sed non simul, quisq; enim in ordine suo, primitiæ Christus: Deinde ij qui sunt Christi in aduentu ipsius, Eadem phrasis extat, 1. Thess. 4. 16. Mirabilis contradictio, & pugna in verbis Pauli. Christus resurrexit, Ergo & nos resurgemus. Item, primitiæ resurgentium Christus, Christus primus resurget, deinde ij qui sunt Christi, illa resurrectio qua credimus ex sepulchro prodijsse, iam olim facta est. Hanc vero futurã esse Paulus docet, vt igitur vocabulum resurrectionis hoc in loco, alia significatione accipiatur oportet. Duplici præcipuè significatione, accipi vocabulum resurrectionis, in sacris Biblijs manifestum est, alias proprie, quando ex morte resurgimus ad vitam, alias improprie & figuratè, quando potestatem & dominium adipiscimur, quod per resurrectionem consequitur. De præcipua illa significatione vocabuli resurrectionis, non est quod laboremus, cum eam qui pius est non neget, & satis abunde in Christo capite nostro demonstrata sit, quam nobis Euangelistæ luculenter, descripsere, & Apostoli tanquam testes fideles Christi obsignauere, per illam resurrectionem enim, declaratus est Christus, quod sit filius Dei, Messias Dominus, caput corporis Ecclesiæ, primogenitus ex mortuis, Ro. 1. 2. Per hanc vero non solum declarabitur fore, verum quod reipsa sit, vt dominetur morti, & omnibus aduersarijs, potestatibus, In illa enim resurrectione hoc futurum esse Paulus ostendit, & probat hoc in loco. Et Rom. 5. 17. 18. Petr. Acto. 3. 20. 21. 22. Apoc. 20. 1. 2. 3. 4. 5. &c. Acto. 10. 13. & 16. 17. Dum probatur quod Deus per hunc virum statuerit, se iudicaturum esse orbem, quod futurum est, & regni illius erit demonstratio realis.

Propositio

XX/4

Propoſitio illa Pauli: Oportet eum regnare, non eſt præſens definitum, ſed infinitum, videlicet vt ad ſubſequentia referatur tempora, oportet eum regnare, æquè ſit, atq; oportet vt regnet. Hoc verum eſſe ſubſequentia declarant verba, oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos, ſcabellum pedum ſuorum. Regnum illud Chriſti, includit ſubiectionem, at Paulus ipſe de Chriſto, nunc in cœlis degente inquit, Heb. 2. 8. Sed videmus illi nondum ſubiecta eſſe omnia, vnde manifeſtum eſt illud regimem, de quo Paulus loquitur, nondum reipſa inchoatum eſſe, ſed futurum vt hoſtes Chriſto ſubijciantur, & cum omnes ſubiecti fuerint, nouiſſima quoq; mors, tunc regnum reddit patrus ſit Deo patri, tunc igitur cum regnabit in domo Iacob, & ſedebit ſuper ſedem Dauid patris ſui, regni eius finis non erit, donec omnia compleantur, quæ de regno illius prædicta ſunt, vbi vero omnia completa fuerint, tunc erit finis vt Paulus inquit.

Si quis porrò diligenter prophetias veteris teſtamenti, de regno Chriſti expendet & quod reperiet, Apo. 20. inſtar expoſitionis adijciet, ſpiritus enim prophetarum eſt teſtimonium Ieſu, facile deprehendet quid regnum Chriſti ſit, & quomodo adminiſtrandum.

Ex ijs iam dictis & reſponſis manifeſtum eſt, inuocationem eam, qua fiducia cordis à Deo patre bona corporalia & ſpiritualia petimus Chriſto non tribui poſſe, & ſi tribuatur maxime aduerſari, vna enim tantum eſt inuocatio illa & vni tantum Deo conuenit, non pluribus: Extra veritatem Scripturæ fingimus duplicem Deum, duplicem fidem, duplicem perſonam & ijs ſimilia.

Si vero extat mandatum de inuocando Chriſto, cur quæſo aſſeritur nos poſſe inuocare, cum manifeſte dicatur, hoc fac quod ego præcipio tibi: Ego vero conſtanter affirmo, in cultu diuino nos nihil poſſe facere (loquor de poßibilitate iuris) niſi quod præceptum eſt. Si vero non extat præceptum, vt ipſe fateris, non video cur ſcribatur inuocare poſſumus, ſed non tenemur. Sicut autem non extat mandatum de inuocando Chriſto, ſic nec de eo adorando, & fiducia in eum collocando, dico de adoratione & fiducia, quæ ſoli Deo competit, extra id adorationem regibus, Prophetis & Angelis attributam eſſe ipſi quoq; Chriſto: Verum non de ea adoratione, inter nos controuertitur, ſed de cultu, vbi adoratio & inuocatio, pro eodem ſumuntur, quemadmodum dicitur: Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies.

Chriſti inuocatio ad fidem noſtram confirmandam, & ad fragilitatem noſtram ſublenandam pertinere non poteſt, fides enim non confirmatur, nec fragilitas noſtra ſublenatur, niſi ex præſcripto verbi Dei, cum non extet mandatum Dei, de inuocando Chriſto, quomodo quæſo inuocatione Chriſti fides noſtra confirmabitur. Fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei, quomodo inuocabunt ſi non credent, Rom. 10. 15. quomodo credunt ſi non audiunt, quomodo autem audient ſine prædicante, quomodo vero prædicabunt niſi miſſi fuerint. Ecce veritas manifeſta inuocatio ſine fide eſſe non poteſt, fides vero ſine auditu, auditus vero ſine doctrina, doctrina vero ſine mandato & præcepto exiſtere non poteſt. Applicemus ad

præſentem

præsentem nostram quæstionem. Contendis inuocandum esse Christum, vbi fides, vbi auditus, vbi doctrina, vbi extat mandatum & præceptum: te dicente & scribente nullum extat mandatum. Te igitur affirmante, nec debemus nec possumus iure inuocare Christum.

Edocti per Magistrum nostrum Christum, preces nostras, ad patrem nostrum cœlestem dirigimus, neq; alio confugiendum esse iudicamus, & illum qui iuuit Christum, & illius preces exaudiuit, nobis quoq; sufficiens iuuamen & auxilium præstare posse, & consolationes in omni tentatione sufficere certi sumus, quemadmodum 2. Cor. 1. 3. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum & totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua nos exhortatur Deus.

Duo in hoc dicto obseruanda sunt, Primum: Consolationem omnem esse & accipi ex Deo patre, qui totius consolationis & misericordiarum pater est. Secundo: Extra hunc quotquot sunt, esse ministros & media, per quæ Deus nos consolatur, neq; ministros & media inuocanda esse, neq; pro Deo colenda, Paulus enim non Christum, nec Deum in Christo inuocat, nec Christum, nec Deum patrem in Christo glorificat, sed ad ipsum Deum patrem gratiarum actionem, & glorificationem dirigit, quicunq; ergo Christum inuocabit, Deum ipsum offendet, mandatum eius violabit, & Christo ea tribuet quæ ipse sibi nunquam tribui voluit, neq; enim Deus pater hunc honorem inuocationis Christo concessit, verum sibiipsi soli retinuit.

Scribiste non legisse, vbi expresse scriptum sit, Christum ipsum Magistrum veritatis docuisse, neminem inuocandum esse præter patrem cœlestem. Ego vero primum, Matt. 4. 9. & 10. & Luc. 4. 8. id ipsum reperio. Cum enim Diabolus omnia regna mundi & eorum gloriam Christo ostenderet, eaq; omnia se illi daturũ promitteret, si procidens illum adorauerit, seu illum inuocando, ab eo sibi illa dari peteret, dicitur Christus respondisse, ex scripto & sententia Dei patris, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

In veteri testamento, nec Angeli, nec Prophetæ, nec Christus ipse cum non esset adorati sunt, et adorari potuerunt, dictũ ergo hoc vt in veteri testamento, solum Deum patrem creatorem cœli & terræ, & eum qui populum suum ex Aegypto eduxit, adorandum & inuocandum esse confirmat: Ita & in nouo testamento per Christum citatum idem docet, videlicet neminem præter Deum patrem cœlestem inuocandum esse.

Si Christus adorandus & inuocandus est, Christus erit solus ille verus Deus, Deut. 6. propositus. At illud iam olim per nos, negatum & destructum est, non ergo dicere & affirmare possumus, Christum adorandum & inuocandum esse, nisi præuaricatores esse velimus. Huc pertinet quod Christus Matt. 4. 10. Diaboli adorationem reiicere non potuisset, neq; vnius Dei patris sui adorationem statuere, si ipse quoq; inuocari & adorari posset aut deberet, ex necessitate enim illi dicendum erat: Tu expetis vt ego te adorem, an nescis me filium Dei esse, quem tu ex præcepto Dei, vt adores obstrictus es. Verum hæc Christus non dixit, sed subiicit Do-

eſt Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies. Quod ſi verum eſt, vti verum eſſe debet, ipſe Chriſtus ſe aſtringi præcepto Dei patris declarat, vt ipſum ſolum adoret. An non Chriſtus ſibiipſi contrarius eſſet, dum vnum Deum ſolum adorandum eſſe docet, contra vero ſeipſum quoq; adorandum aliquando, vel innuiſſet, vel docuiſſet? certe qui alium inuocat & orat ſe inuocandum eſſe minime contendit, niſi dicat Chriſtum cum Papiſtis duplicem ſuſtinere perſonam, vt quatenus homo adoret patrem, quatenus vero Deus adoretur, aut quatenus homo non adoretur, quatenus vero Deus eſt adoretur. Hic labyrinthus eſt ille, ex quo ſemel egreſſi reditum tentamus.

Chriſti præceptum eſt, vos quando oraueritis dicite: Pater noſter, Matt. 6. 10. Si hoc præceptum & mandatum non ad ſolum Deum patrem reſpicit, vocabulo patris & filius comprehenditur, vel etiam Spiritus ſanctus. At certum eſt hoc in loco nomine patris illum vnum ſolum numero Deum, qui creator cœli & terræ eſt intelligi, quid ergo ambigimus ſeuerum mandatum Dei patris & filij eius Chriſti extare de patre ſuo ſolo inuocando, niſi velimus Deum patrem & Chriſtum ipſum poſtquam cœlos conſcendit mutaſſe voluntates, id vero nullibi legitur, hancq; ob cauſſam vt infirmum reijcitur.

Non reſponſio ſed effugium eſt, quod Chriſtus dum in terris eſſet, nullam ſuæ inuocationis mentionem fecerit, eo quod ſuam non quæreret gloriam, ſed pater euehendo illum, poſt mortem eam gloriam contuliſſet Chriſto: Imò vero illam gloriam quam pater illi deſtinauit, & quæſiuit, & ſibidari poſtulauit, & cum illi eriperetur ægrè tulit, Ioan. 17. & 8. 49. Dum in terris eſſet hoc ipſo ſe ſolabatur Chriſtus, quod ſuam pater ipſius quæret gloriam. Verum nec ante conſcenſum in cœlum, nec poſt inuocari aut adorari iuſſit eum. Communem cum illo in cœlis nos habituri ſumus gloriam, oportet ergo vt & nos inuocemur & adoremur.

Antequam Chriſtus in cœlum aſcenderet dicebat, Mat. 11. 28. Venite ad me omnes, qui laborati & onerati eſtis, & ego reficiam vos, vt non opus fuerit eam poteſtatem poſtea in cœlis adeptum eſſe, cum eam iam ante haberet. Verum vt in terris cum poteſtatem habens minime inuocari ſe præcepit, ita eam nunc non exerens, niſi per miniſterium ſemel inſtitutum minime inuocabitur. Verum hæc quæ adferuntur de inuocatione Chriſti, & poteſtate accepta, poſtquam in cœlos aſcendit, ſimilia eſſe videntur illis, quæ Papiſtæ docent: Multa poſt Chriſti aſcenſum in cœlos, per Spiritum ſanctum reuelata eſſe Apoſtolis, quæ in Canones relata, poſtea in concilijs approbata ſunt, ex quorum numero & illud eſt: Chriſtum vel à ſeipſo, vel Deum de Deo eſſe, ideo inuocandum & glorificandum.

Dictum illud, Ioan. 14. 13. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, ego faciam, Chriſtum inuocandum eſſe minime docet, imò patrem ſolum inuocandum eſſe confirmat. Quicquid petieritis patrem in nomine meo. Item: Petite patrem in nomine meo, non ſe inuocandum eſſe contendit, Cur contra Chriſti ſenſum & mentem concluditur illum inuocandum eſſe? Quia ſequitur inquit ego faciam: Si ipſe facit, inuocandus eſt. Ratio conſequentiæ nulla eſt, ego impe-

trabo

trabo & efficiam, vt preces vestræ exaudiantur, Ergo me inuocate. Si hæc concluſio conſiſtere debet, textus corruptus petite me in nomine meo, verus erit & legitimus. Vt igitur dignus riſu eſt qui docet Chriſtum dixiſſe petite me in nomine meo (iſtud enim nec verbum Dei, nec ratio verum eſſe patitur.) Ita qui ex hoc loco concludit, ego faciam h.e. me inuocate, dignus reprehenſione eſt.

Sed videamus an illud: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, ego faciam, inferat inuocationem Chriſti, aut eius interceſſionem? Locus Ioan. 14. 12. 13. ita habet. Ego ad patrem vado, & quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater per filium. Si quid petieritis in nomine meo ego faciam, vt id habeatis rogando patrem, Spiritum mittet pater in nomine meo, fructus veſter maneat, vt quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, hactenus non petiiſtis quicquam in nomine meo, petite & accipietis à patre meo, cum palam annuntiabo vobis de patre meo, in illo die in nomine meo petetis à Deo patre, & non dico vobis, quod ego rogaturus ſim patrem pro vobis, ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis.

Primum ex collatione horum teſtimoniorum, intelligimus illud, Ego faciam, idem eſſe, atq; pater faciet, ipſe pater dabit vobis. Alibi enim manifeſte Chriſtus inquit, opera quæ ego facio non ego facio, Ioan. 14. 11. & Ioan. 8. 28. Tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, & Ioan. 5. 19. 30. idem reperitur.

Secundo videmus ex ijs teſtimonijs aliud eſſe inuocare & petere, à Deo patre, & aliud nomen Ieſu Chriſti inuocare, & à Ieſu Chriſto petere, & aliud eſſe rogare Deum patrem in nomine Ieſu Chriſti, & aliud interceſſore velle vti apud patrem Deum, Ieſu Chriſto: non dico inquit vobis, quod ſim pro vobis rogaturus patrem, ipſe enim pater amat vos. Ecce & non habet opus, vt aliquis apud eum intercedat pro uobis: Interceſſore enim opus eſt, vbi eſt hoſtilitas, vbi eſt amicitia, ſatis eſt amico ſignificare quid velis.

Fatendum eſt verba hæc, quicquid petieritis patrem in nomine meo, Apoſtolos intellexiſſe, ſi non antequam tamen cum Spiritum ſanctum acceperunt, poſtea vbi edocti fuerunt, miſſo Spiritu ſancto, ſenſum eorum aſſecutos eſſe. Proponamus nobis ſpectandas omnes inuocationis formulas, quibus Apoſtoli precati ſunt Deum, nuſquam inueniemus aut orationes dirigi ad Ieſum Chriſtum, aut in oratione fieri mentionem interceſſionis Ieſu Chriſti. Et cur nos tantis ducibus, cum quibus omni tempore ſui miniſterij vixit, & ante & poſt mortem rediuiuus Ieſus Chriſtus & ſua omnia patefecit illis arcana, non vtimur? Quid ambigimus, ne erremus? nam illos erraſſe, ita Deum patrem orando, nec audemus aſſerere nos, nec vlla vnquam ætas aſſeruit, Quid dicemus, nos melius intelligere, illa verba Ieſu Chriſti quam illi intellexerunt, Aut illos intellexiſſe quidem, ſed ea in precibus ſeruare noluiſſe? potius aſſerendum eſt, ſi nos aliter Deum patrem orare voluerimus, quam Apoſtoli Ieſu Chriſti fecerunt, magnam ſubituros culpam, & contra primum legis mandatum, de diligendo Deo ex toto corde peccaturos.

Errare vero illos, qui petere in nomine Ieſu interpretati ſunt, interceſſore & mediatore

Ieſu, demonſtrat, non ſolum illud, ego non rogabo pro vobis patrem, ipſe ſiquidem pater amat vos, verumetiam conſtructio verborum: Nam petere & pater dabit vobis in nomine meo, idem eſt, atq; pater dabit vobis Spiritum ſanctum in nomine meo, hoc eſt, vt glorificet nomen meum, vtque glorificato nomine meo, glorificetur nomen ſuum. Ideo dicitur ille me glorificabit, & ſic glorificatur Deus in Chriſto, non Chriſtum inuocando aut adorando, vt petite in nomine meo eadem forma ſit dictum, qua ſuperiora, & qua, ſerua eos in nomine tuo, Ioan. 17. 11. hoc eſt, ad nominis tui illuſtrationem, in gratiam tui nominis. Et non diſſimile aliud aliquid, nec inuocationis, nec interceſſionis, vim habere dicendum eſt, & omnis ſenſus & intelligentia ſacrarum Scripturarum, in hoc vnum tendit, vt Deus pater vnus, & ſolus inuocetur, non aliquis Spiritus beatus, & anima ſancta, aut Angeli iuſti, aut homines felices, qui ſunt apud Deum, nec interceſſoribus nos opus habere voluiſſe eum, qui prius nos audit, quam pro nobis interceſſores ad ſe accedere poſſint, ſed neq; interceſſoribus ad eum acceſſus patet, niſi petita & impetrata venia, vt ad intercedendum accedere valeant, nulla enim eſt interceſſio ſine cura. Curã autem omnium rerum ſibi vni & ſoli Deus deſumpſit, neq; alijs aliud facere permittitur, niſi quantũ Deus illis, vt aliquid faciant aut añuntient mandat. De duobus ſequentibus locis, Matt. 28. 20. Luc. 21. 15. Ero vobiſcum, &c. Et ego dabo vobis os & ſapientiam, ſupra reſponſum eſt, & demonſtratum, quod per illa inuocatio Chriſti ſtabiliri nequaquam poſſit.

Negas Ioan. 4. definiri eam eſſe veram adorationem, quæ fit in ſpiritu & veritate ad patrem: Primum, quia ibi, quæ vera aut falſa ſit adoratio, non oſtendatur, verum diſputatio ſit de loco, an illic aut Ieroſolymis, an vero omni in loco veri adoratores patrem in ſpiritu & veritate adorare poſſint & debeant. Si verba ipſa aſpiciamus, de vtroq; eſt diſputatio, de loco videlicet, falſa & vera adoratione. De loco nulla eſt inter nos quæſtio, diſtinctionem veræ & falſæ orationis illic definiri & declarari ſic probo. Inquit Chriſtus: Ioan. 4. 22. Vos adoratis quod neſcitis. Non adorabant locum, ſed extra illum vnum Deum Iſraelis alia numina adorabant, & ſibiipſis falſam adorationem, & cultum diuinum excogitauerant, adeo vt quem adorarent etiam ignorarent. Iis verbis ergo Chriſtus, Samaritanis falſam Dei adorationem, extra Deum Iſraelis exprobrat. Adorare enim & neſcire quid, falſa eſt adoratio, quam ab illa ſic diſtinguit: Nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. Vera adoratio ex ſcientia eſt. Inuocare enim vnum Deum Iſraelis patrem Chriſti, in illum ſolum fiduciam & ſpem collocare, ſcientia eſt, vt Paulus 1. Co. 8. 7. docet. Et vera adoratio hæc eſt, de qua Chriſtus dicit: Nos ſcimus quid adoramus, quia ſalus ex Iudæis, Vide Rom. 5. 4. 5.

Quod vera adoratio ſit à Chriſto, eo in loco explicata, patet ex ſequentibus quoq; verbis, Ioan. 4. 23. inquit enim, Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Docet quis ſit adorandus & quomodo. Si hæc veræ adorationis non eſt explicatio, nec illud verum erit, quando diſcipuli Chriſtum peterent, vt doceret eos orare, Chriſtus reſpondit: Vos vero cum oraueritis, dicite: Pater noſter, &c. Fortaſsis ideo contendis, hic

non

non definiri veram adorationem, quia adorationis Christi nulla fit mentio, imò inuerto, Ideo vera est adorationis descriptio, quia nulla fit Christi mentio. Nam illa pro vera inuocatione & adoratione haberi non potest, quæ ad Christum dirigitur, cum nec mandata sit, nec eius rei extet exemplum. Definitio igitur veræ adorationis ea est, qua pater in spiritu & veritate adoratur. Probatur per ipsum magistrum Christum, nam & tales pater quærit adoratores. Si hoc veræ adorationis, descriptio non est, veri adoratores esse non possunt, qui patrem in spiritu & veritate adorant. Omnis qui sanæ mentis compos est, discernere potest, veros adoratores eos dici, qui vere adorant, & eos habere veram adorationem, qui vere adorant. Sic hæc veræ adorationis distinctio non est, nulli erunt veri adoratores, nullus etiam erit verus Deus. Manifesta enim verba Christi sunt: Nam & pater tales quærit, qui eum adorent. Si contrariam opinionem asserere voluisset, Christus dicere debebat, pater tales requirit adoratores, qui me adorent, & illud erit patrem adorare in spiritu & veritate. At subiscit contrarium, Deus est spiritus, & eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet eum adorare. Confirmatio adeo euidens est, vt qui secus adorent, non Deum sed Idolum adorent, Deus enim spiritus est, & Deū qui adorant eum in spiritu & ueritate oportet adorare, Ioan. 4. 14. Hæc tam manifesta sunt, ut non nisi ab obstinato negari possint.

Hoc in loco uocabulum adorationis, accipi pro inuocatione multis modis constat, qui enim uel montem illum oraturi, uel Ierosolymam conscendebant, inuocabant Deum Israelis, & ab ipso bona corporalia & spiritualia petebant, ut ex 3. Regum cap. 8. patet, ubi & uocabulum adorationis pro inuocatione sumitur, quod quomodo intelligendum sit, procul omni dubio Christus explicare uoluit.

Secundo interna illa adoratio quæ fit in spiritu & ueritate, accipitur pro inuocatione, alias enim nulla inter internam & externam adorationem differentia institui potest, neq; illud: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies pro cultu & uera Dei inuocatione sumi potest. Concluditur ergo ex præmißis eam adorationem & inuocationem ueram esse, quæ in spiritu & ueritate dirigitur ad patrem, reliquas orationes falsas, quæ non ad patrem diriguntur. Nam tales quærit pater adoratores, qui eum & non alium uere inuocare uelint, & in spiritu & ueritate ipsum accedere, ipsum inuocare & non alium. Adoratio cum ad primum mandatum pertinet, coniuncta est inuocationi, & ad solum Deum inuisibilem referenda est. Is Deus est, qui Deus pater dicitur, neq; enim alius est Deus, qui uerus & inconspicuus Deus sit, nisi is qui ita Dominus & Deus dicitur, & quoq; pater noster, & Iesu Christi, & omnium Sanctorum. Hoc uerum esse confirmat colloquium Christi cum Samaritana: Patres nostri inquit in monte hoc adorauerunt: quemnam? Et uos Iudæi dicitis, Ierosolymis esse adorandum, quemnam? Vos inquit Iesus adoratis in hoc monte quod nescitis, nos Iudæi adoramus quod scimus: Quidnam? Venit hora quando uos, neq; in monte hoc, neq; Ierosolymis adorabitis; Quidnam? Patrem, inquit, Deum, uenit hora & nunc est, quando uos & nos, ueri adora-

XXIII/b

ratores adorabant ſpiritu & ueritate: Quemnam? Patrem nempe Deum. Quæ adoratio coniunctis precibus, primi mandati, ad ſolum Deum patrem referri debet, qui eſt unum individuum, qui ſolus uerus, inconſpicuus Deus dicitur. Verte ſurſum deorſum omnia, euolue à ſacris Scriptoribus, perſcriptas ſanctorum Patrum preces, à condito mundo, nuſquam aliter inuenies, quam ſanctos Patres, ſanctos Apoſtolos, ſanctos Reges, ſanctam Eccleſiam, Ieſum Chriſtum ipſum, & quicquid fudiſſe preces unquam recitatur, ſiue in Propheticis, ſiue in Apoſtolicis ſcriptis, præter unum inuiſibilem, & inconſpicuum, uerum & ſolum Deum, una natura diuina conſtantem adoraſſe, coluiſſe, obſeruaſſe, timuiſſe, & in precibus inuocaſſe, & cum decies aut uicies Ieſus Chriſtus, pluries Eccleſia tota Chriſtiana, multoties Paulus narretur adoraſſe, & precatus fuiſſe, nunquam alio directam fuiſſe, inuocationem, quam ad Deum patrem oculis ipſis cernimus, & manibus contrectamus, & cum Ieſus Chriſtianos, hoc eſt, diſcipulos ſuos inſtitueret, quid orare ad Deum deberent, cum alioquin ignari ſint homines eorum, quæ petere in precibus debeant, patrem Deum orandum eſſe, perpetua lege, quam ipſi omnes Apoſtoli & ſancti Dei ſeruarent omni tempore, ſanxit: Confiteor tibi, inquit, pater cœli & terræ: Pater gratias ago tibi: Pater ſalua me ex hac hora: Pater ſanctifica filium tuum: Pater clarifica filium tuum: Pater omnia ſunt tibi poſſibilia: Tranſeat à me calix iſte, Pater dimitte illis: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum: Et quando aliter Ieſum, Deum patrem oraſſe reperies? Sic Paulus Eph. 3. & Apoſtoli omnes Acto 4. orant.

Ex iſs iam dictis manifeſtum eſt, definitum & ſcriptum eſſe, Ioan. 4. quid vera inuocatio ſit, & quis inuocari debeat, videlicet vnus ille Deus pater Chriſti, & quicunq; alium inuocant, veros non eſſe adoratores liquet, & illud quod omnia Eccleſiæ neceſſaria, non Chriſtus ſed Deus pater conferat, & conſtitutum in neceſsitate, non ad Chriſtum, verum ad Deum patrem confugere debere. Nam quod ipſe dixit, & fecit, nos quoq; facere debere, ſi illius diſcipuli eſſe volumus, oportet.

XXIIII Poſtrema & vltima ratio mea eſt: Chriſtus inuocari non poteſt, quia illius inuocationis formula nulla extet, negas ex eo conſequi, Chriſtum inuocari nõ poſſe, nam etiamſi nullæ formulæ directæ extent, extare tamen obliquas, & vere dicis obliquas, imò potius ſcribere debebas ambiguas, teſtimonia enim illa, detorquentur à ſuo vero, & genuino ſenſu, & inuocationem Chriſti vel ambiguam minime probant. Nec illa quæ allata ſunt, nec quę in eandem ſententiam adferri poſſunt, probant Chriſtum inuocari poſſe, vt in declaratione locorum illorum demonſtratum eſt. At poſtremam videamus rationem, quæ adfertur Chriſtum inuocari poſſe, quia inquit expreſſe non eſt cautum, ne quis eum inuocare audeat. Quid audio? Expreſſe ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, ſolum me inuoca. Item, præter me non eſt Deus ſaluans. Quod vero

præcipitur

præcipitur & affirmatur, nonne à contrario prohibetur & negatur: Et contra quod prohibetur & negatur, minime conceditur & probatur? Prohibetur, ne Deos alienos, coram vno Deo Israelis habeamus, præcipitur ergo, vt vnum solum verum Deum habeamus & colamus. Prohibentur sculptilia, & eorum adorationes, Ergo vnius Dei cultus præcipitur. Ita si omnia præcepta Dei examinauerimus, hoc verum esse deprehendemus. Si præcipitur inuocatio vnius Dei patris, Ergo in ijsdem verbis, & eadem ratione, quicunq; non est vnus ille Deus Israelis, illius prohibetur inuocatio, nisi velis Christum illum vnum esse Deum Israelis, alioquin oportet concedere, prohibitum esse ne Christus inuocetur, seu vt verbis tuis vtar, Cautum esse ne quis eum inuocare audeat.

In tua responsione aliquoties distinguis, inuocationem Dei patris, ab inuocatione Christi, illum tanquam fontem & originem bonorum, hunc vero tanquam quià patre, quodammodo largiendi bona potestatem accepit. Si nõ alia ratione, hoc saltem modo concedes, cautum esse ne Christum inuocemus, cur ergo ænigmata proponuntur, & cur quæritur vbi prohibitum sit, Christum inuocare? Verum vt apertum habeas responsum: Vbicunq; vnus solus verus Deus Israelis, præcipitur inuocandus, illic prohibentur, Christus, Prophetæ, Angeli, & omnes alij quicunq; extra Deum patrem sunt, inuocandi. Christus enim ille Deus Israelis non est, qui inuocandus præcipitur. Aut igitur demonstres præceptum esse, vt Christum inuocemus, quod si ex verbo Dei ostendere non poteris, desinas quærere vbi cautum sit, ne quis illum inuocet. Si enim non est præceptum, prohibitum esse scias, nisi inuocationem Christi inter adiaphora numeremus, eamq; ob caussam minime de ea disputandum.

Dolendum est, nos qui veritatis diuinæ inquisitores & propugnatores, haberi volumus, ingredi viam aducrsariorum, & ijsdem telis pugnare. Illi enim vnum solum verum Deum, patrem Christi esse hoc nomine impugnant, quia non sit scriptum, vnus solus verus Deus pater est, & non Christus, seu non est cautum, quod vnus Deus non sit Christus. Vt autem illorum argutiæ minus validæ esse cognitæ sunt, eo quod omnibus veritatem amantibus persuasum est, quando vnus, verus, solus Deus Israelis pater Christi esse demonstratus est, satis apertum fuisse, Christum illum vnum Deum Israelis non esse. Sic cum probatur manifeste vnum solum verum Deum Israelis inuocandum esse, aperte & manifestè probari Christum non esse inuocandum.

Hæc sunt mi Fauste quæ breuiter & simplici stylo, ad tua voluí responderе obiecta, tu id quod scriptum est candido animo, dextre accipias: Si enim apud te nullius sunt ponderis, qui discere non vis, sed docere, fortasse apud alios, suum

os, suum habebunt pondus: Et Deus ex lapidibus Abrahæ filios excitabit. Eo oro vt in posterum, apertum adferas verbum Dei, tuis enim collectionibus, aliæ rationes semper opponi poterunt.

SEQVITVR IVDICIVM ECCLESIARVM POLONICARUM de causa Francisci Dauidis, in quæstione de uera hominis IESV CHRISTI, filij Dei uiuentis inuocatione, prius impressum solum Claudipoli in Officina Relictæ Casparis Heiti, Anno 1579. habens asseriptum in prima pagina dictum Matthæi 10. Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Quis autem negauerit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui est in cœlis: Et post, hanc Præfationem ad Lectorem.

MVlti multas afferre sui instituti causas solent: quoties aut proprio marte elaboratos libros, aut ab alijs conscripta opera edere in vulgus, vel ob publicum ciuilis societatis commodum, vel propter insignem aliquam vtilitatem Ecclesiæ, nequaquam dubitant. Ea siquidem ratione, & temeritatis crimen, quantum in se est, prudenter amouent ac euitant, & lectoribus syncerís & ingenuis, quosdam quasi stimulos, quibus eos ad legendum, & ad cognoscendum opus, toto studio inuitent accendantq;, injiciunt. At verò nos, candide lector, non est cur tibi nostrum de hoc tam breui libello pro tuenda gloria CHRISTI publicando Consilium multis aperiamus. Tantum quod caput est rei, apponere voluimus, Franciscum Dauidem, cum superiore Anno, propter doctrinam de inuocatione IESV CHRISTI ad dextram patris exaltati abolenda (quæ sanè absurda opinio plurimas alias, tanquam catena catenam, vt de regno, de pontificatu, curaq; Christi secum trahit) ab omnibus totius Transyluaniæ ordinibus, atq; etiam potioribus per Hungariam sparsis ministris damnatus esset, nec iam se, suamq; causam, vt quæ ex diametro cum luculentis Scripturæ sanctæ oraculis pugnaret, tueri amplius posset, ad Ecclesiarum Polonicarum de præsenti controuersia iudicium in ampliſsimo atq; frequentissimo procerum, nobilium, ciuium, pastorumq; conuentu, & quod magis est, Principe ipso Illustrissimo, atq; clementissimo assidente, appellauisse, simul etiam iure iurando interposito, velle se sententiæ à Polonis fratribus de materia hac controuersa latæ, bona fide, & syncere citra vllam tergiuersationem subscribere. Quod sanè eo maiorem cuiuis cordato, & constanti homini admirationem parere potest, quod non obscurè ex Epistola Gregorij Pauli,

quid

quid de hoc negotio contra ipsum, Polonicæ sentirent Ecclesiæ, iam antea intellexerat. Sed sic fit, quando miseri mortales, plusquam par est ingenio confisi, nondumq; de re aliqua benè firmi ac certi, eam præcipiti mentis lapsu diuulgare, ac propagare, vel inuita Ecclesia, atq; veritate nituntur. Porrò nunc responsum illud Polonorum non in hoc vel illo angulo priuatim natum, sed ab vniuersa synodo in Belzicze cõ gregata constantissimè profectum, vel hoc potissimum nomine emittere in publicum libuit, vt nostrum cum Polonicis Ecclesijs de vera IESV CHRISTI filij Dei viuentis inuocatione, consensum firmum, ipsisq; Prophetarum & Apostolorum scriptis purissimis conformem, omnibus pijs ac modestis hominibus, præsertim propter eos, qui nonnisi paucos nos huius doctrinæ de homine IESV CHRISTO inuocando, atq; adorando assertores esse fominant, candide & ingenuè testatum faceremus.

Quæ verò Poloni fratres de baptismo, & nonnullis alijs quæ ad præcipuum quæstionis institutæ scopum non faciunt, huic scripto obiter insperſa attigerunt, consultò ne non miscenda miscerentur, neue longior impressioni contingeret mora, prætermisimus. Vale pie Lector in Domino.

Minst: Euangelij Iesu Christi apud Claudipolitanos,

MAGNIFICO AC EXCELLENTI DOMINO GEORgio Blandratæ, Cæterisq; in Transyluania fratribus in Christo Domino dilectis, Gratia pax à Deo Patre & Domino ac Seruatore nostro IESV CHRISTO.

REdditæ sunt nobis literæ vestræ Fratres obseruandi, quas ad nos die XVII. Iunij Alba Iulia dedistis: quibus adiuncti sunt libelli tres, quorum primus continet Theses D. Georgij Blandratæ cum contrarijs Thesibus Franciſci Dauidis, alter habet propositiones Franciſci Dauidis, quibus probare nititur, inuocationem Christi filij Dei viuentis prorsus nullum locum habere posse, nisi quis summa iniuria Deum ipsum, patrem Christi Iesu Domini nostri afficere velit. Quibus adnexa est Responsio Fausti Socini. Tertius est libellus, in quo Franciſcus Dauidis doctrinam de inuocatione Domini nostri Iesu Christi, summis viribus impugnat, & argumenta Sozini, maxima contentione conuellere satagit. De his omnibus, vt nostrum iudicium quamprimum extet, literis vestris à nobis efflagitatis. Cæterum, quia longinquitate lo-

corum ita seiuncti sumus, vt non facile coire in vnum possimus, dabitis veniam, si non tam cito à nobis responsum continget. Præterea cum huic quæstioni plæraq; alia sint adnexa, quæ maxima quoq; deliberatione opus habent: vtpote de progressu istius contentionis, & causa, & fine: deinde de quibusdam legibus, contra quas Franciscus Dauidis peccasse dicitur, eoq; nomine conuictus & damnatus: tertio, quod lata sententia, Ecclesiarum nostrarum iudicio se submiserit, & iureiurando obstrinxerit, vt rata habeat, quæ à nobis in hac quæstione ex Scripturis sanctis demonstrata fuerint. Ad quæ omnia respondere, non putamus partium esse nostrarum, ne extra metas functionis nostræ, & Ministerij Euangelici prosilijsse, merito à quoquam argui possemus. Quid enim ad nos attinet, de legibus prouinciarum, aut de iudicijs & Magistratus authoritate Serenissimorum Principum, Regumq; potentissimorum decernere, recténe an secus faciant? cum & ipse filius Dei, vel impij Magistratus authoritatem approbauerit, & se quamuis iniustè ab illo ad omnium probrosissimam mortem condemnari passus est, nec aperuit os suum, sicut de illo Prophetæ sancti antea prædixerant. Nos quoq; ad eum modum affectos & comparatos esse decet, ne supra magistrum nostrum discipuli sapere videamur, aut commodiorem conditionem eligere quàm assecias Christi deceat. Ac proinde ardentes preces semper ad Deum fundimus pro Rege nostro, & ijs qui sunt in magistratu constituti, vt illos Deus, Spiritu suo sancto regat, & forti manu firmet ac detineat, ne cursum Euangelij quoquomodo impediant: alioquin parati per Dei gratiam perpeti, quicquid de nobis ex permissione Dei statuerit, absq; illa contradictione.

De quæstione itaq; controuersa quid sentiamus, quantum nobis Deus opt: max: mentis, intellectus, & diuinæ lucis concesserit, libenter & de plano aperiemus, vt non solum vobis, sed toti orbi etiam sit doctrina nostra manifesta, quam ex Euangelio Iesu Christi Domini nostri non solum profitemur, sed etiam in vsu per sacrum Ministerium habemus, & ad vitæ, & sanctæ conuersationis consuetudinem applicamus. Quod studium, si sequuti fuissent, qui huius contentionis fuêre authores, nequaquam tantas turbas sua petulantia dedissent. Vnde apparet Ecclesiam Christi absq; disciplina nullo modo ita conseruari posse, vt à nullo vento dimoueatur, imò verò ad quosuis tempestatum impetus inconcussa permaneat. Quod vtinam agnoscant, vel tot malis edocti qui docendo populo præsunt, & sancto Ministerio destinati sunt. Quæ in calce literarum de vestris conatibus in promouendo regno Christi & studio pietatis scribitis, tum etiam de mutuo consensu in dogmatibus fidei, & quas cautio-

nes

nes adhibetis, ad hæc, si Domino visum fuerit, vel in calce huius tractatuli, vel aliqui fratres priuatim per literas respondebunt. Cæterum ne expectetis à nobis, vt in hac controuersia ita singula perstringamus, vt nulla periodus intacta permaneat, illud enim esset infiniti laboris: Deinde quod in vobis minimè probamus, non necessariam multarum theseum tam subtilem, & verbis non ex Scriptura sancta petitis explicationem: alioquin oporteret nos ingredi Labyrinthos nuuquam finiendos, & doctrinam de Domini nostri Iesu Christi inuocatione, puram & sacrosanctam, exoticis vocibus conspurcaremus. Thesibus itaq; quæ inter D. Doctorem Blandratam & Franciscum Dauidis interceserunt, manum adhibere non libet, ne cogamur inuoluere fidei nostræ confessionem varijs & diuersis argumentis in vnum coaceruatis, atq; sic lectoribus oneri esse, & veritatis cognitionem impedire. Fausti quoq; Socini scriptum, maiori censura non videtur opus habere, nobiscum enim consentientia illum sequi videmus: nisi quod sub finem responsionis non satis se explicat, vbi infirmitatis esse indicium Christum inuocare, vt nobis adsit, Deum verò ipsum recta adoriri, perfectionis dicit. Si per modum concessionis posuit, vt vel hoc pacto inuocationem Christi adserat, habet quandam excusationem color Rhetoricus: Si vero simplex est assertio, illi minimè accedimus. Non enim Christum talem intercessorem agnoscimus, qui nihil, quàm quòd interpellet: possit: verùm etiam datorem bonorum spiritualiũ, & vitæ æternæ, firmiter credimus. Nunc scriptum Franciscí, & quàm dextrè doctrinam inuocationis conuellat, summa diligentia excutiamus.

Principio itaq; exigit Franciscus expressum Dei aut ipsiusmet Christi de inuocatione præceptum. Alioquin nisi verbis planis id in Scripturis sacris demonstretur, frustra rem quoq; ipsam quæri. Cum ex alijs quoq; quæstionibus id ipsum experti simus, vt de Trinitate, Missa, &c. quæ voces cum in Scripturis sacris non extent, ne rem quoq; esse, sic & de alijs sentiendum. Cæterum hic bonus vir vltro non videt, quod se videre velle simulat. Eandem enim excusationem aliâs quoq; adferebat ipse, & alij quidam tum de Baptismo, tum de Cænæ Domini legitimo vsu. Tametsi verò non parum momenti habet, quòd in tantis angustijs positus, iam à summo magistratu damnatus, vltro iudicio Ecclesiarum nostrarum, dogma hoc suum subiecit, & vt scripta nostra testantur, sanctè pollicitus est se sequuturum, quod hic statuerimus: nihilominus significationem proprio scripto nullam de ea re dedit, cum tamen & hoc illi per vos licuisse facile adducimur vt credamus: quod autem non fecerit, est quod vehementer miremur. Tamen quia charitas Christiana teste Paulo non est su-

 spiciosa,

XXVI/b

spicioſa, ſuſtinet verò & ſperat omnia, neq; cogitat proximo malum, imò etiam multitudinem peccatorum operit, proinde nos quoq; in meliorem partem accipimus & interpretamur, nihil veriti, quin ſtudium hoc noſtrum, & ſanctus labor, maximo vſui ſit futurus. Sed iam tempus eſt vt negocium hoc aggrediamur, faxit ille cuius cauſam agimus, vt ſit fœlix atq; fauſtum.

Cæterum antequam de mandato & præſcripto inuocationis Chriſti verba ſimus facturi, ordinis didactici ratio poſtulat, vt quædam alia explicemus, quæ lucem adferant cauſæ, illamq; illuſtrent, & ad veritatem indagandam & cognoſcendam Lectorem Chriſtianum plurimum iuuent, docilemq; reddant. Primum itaq; omnium de hac voce inuocatio ſtatuendum ſit, ne nobis in progreſſu negocij, quid ambiguitatis pariat. Sunt enim qui vocem hanc eludant, cum preſsi fuerint ſcripturarum ſanctarum teſtimonio. Nam nihil aliud ſignificari hac voce volunt, quàm nomine alicuius cenſeri. Quemadmodum vxor mariti nomine ſe venditat, filij parentum, ſubditi dominorum. Proindeq; fideles etiam à Chriſto hanc denominationem habere vt Chriſtiani vocentur, quia ſunt Chriſti. Nam & ille ſponſus eſt noſter, & caput noſtrum, nosq; vicíſſim eius membra. Cæterum ne ad eum modum quis in hac controuerſia cauilari poſsit. D. Paulus 2. Tim. 2. 19. & 22 impedit, nam ſic habet vetus interpres in vtroq; verſu. Diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Vbi Paulus habet onomazon to onoma Chriſtu, qui ſe Chriſti eſſe iactat, eiuſque nomen prætexit & nominat. Alter verſus ſic habet, Sectare iuſtitiam, fidem, ſpem, & charitatem & pacem cum his qui inuocant Dominum ex puro corde. Ibi græcus textus habet. Epikalumenon ton kyrion ek katharas kardias. Ad eundem modum Rom, 12. hac voce vtitur idem Paulus, verſ. 1. parakalo hoc eſt precor. Vnde facile quiſq; minime contentioſus colliget parakalein ſiue inuocare, ſecundum Scripturæ S. ſenſum & vſum nihil aliud eſſe, quàm precari & petere. Quod vt eò clarius conſpici poſsit adducemus in medium alias quoque voces, quæ idem prorſus ſignificant, inuocare, adorare, petere, ſupplicare, interpellare, precari, orare, implorare Deum eiuſq; auxilium, ſeruire, colere, etiam intercedere, &c. Idemq; ſentiendum eſt de nominibus quoq; ipſis, quæ ab his verbis deſcendunt, ſuntq; Scripturæ ſanctæ in vſu: vtpote inuocatio, adoratio, petitio, ſupplicatio, interpellatio, precatio, oratio, ſeruitus, cultus, interceſsio, & gratiarum actio. Cæterum diligenter obſeruandum eſt, non tantum in negocio pietatis & fidei cultuq; diuino iſtarum vocum vſum eſſe, cum pleriſq; in externa conuerſatione frequenter vtamur: nõ enim ratione caret, quod Deus homines ſuis quandoq; titulis inſignit, vt illis qui ſunt in Magiſtratu cõ-

ſtituti,

stituti, summus habeatur honos, etiam Paulo teste, Rom. 13. 7. & alibi ita etiam parentibus præceptoribus, etiam præsbyteris qui benè præsunt, duplex honos. Ita enim comparatum est. vt optime Deus opt: max: omnia disposuerit, ne alter absq; alterius cura, protectione, labore & auxilio esse possimus, quamdiu hanc terram incolimus. Sed vbi negocium est fidei, iam voces illæ augustius sonant, ita vt impium sit aliò adorationem & cultū diuinum transferre, quàm quo à Deo sunt destinata: Teste Mose & Christo, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Vt ergo inuocationis constet ratio, ne in vanum precemur, tria potissimum requiruntur in inuocando: vt statuamus nos exaudiri, quòd frustra inuocantur illi, qui de nobis nullam habent curam, neq; sciunt quid nobiscum agatur, Teste Isaia cap, 63. Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Tu Domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum. Idem alio loco idololatris insultat de illorum dijs falsis, vt aut male saltem faciant, quandoquidem benè facere nequeunt cap. 45. & 46. Et alibi. Alterum est vt de voluntate simus certi, sicut Ioannes admonet. 1. Ioan. 5. 14. Rom. 12. 2. Ita Saulis preces fuerunt vanæ, etiam ipso Samuele deprecante pro eo, quia cor Dei non erat cum eo. Et Zebedei filij repulsam patiuntur, quia ignari de Christi voluntate, pro sessione illum frustra postulant. Tertium vt de facultate præstandi nobis constet: teste Paulo Rom. 10. 12. Idem Dominus diues in omnes inuocantes ipsum. Eamq; ob causam sancti in suis precationibus semper omnipotentiæ Dei meminisse solent, qua in fide confirmentur: quod is quem inuocant potens sit & præstare. De Deo quidem nemo est fortasse qui dubitet quod hęc omnia possit & velit: teste Christo Matt. 6. Per totum fere caput, vt non sit necesse aliquem versiculum annotare. De Christo autem sunt qui dubitant, alij etiam mordicus summaq; contentione impugnant. Nostri itaq; muneris ratio postulat, vt quod ex Scripturis sanctis hauserimus, hic palam faciamus. Cæterum ne fucum Lectori faciamus in vsu nominis Christi filij Dei viuentis: plerique enim Christum putant esse inuocandum ex præsumpta opinione, quod existiment illum esse vnum Deum cum Patre & Spiritu sancto. Alij in hoc homine alium quempiam filium Dei imaginantur quem inuocent: nequaquam hunc honorem homini Christo concessuri.

Nos verò ex Spiritu sancto edocti, non dubitamus, Christo etiam infanti adhuc, & in cunis iacenti, hunc honorem habere, vt prostrati in terram proni recens natum regem vnà cum Magis adoremus, conceptum de Spiritu sancto, & ex Maria virgine natum, postmodum etiam & in cruce pendentem idem quod latro precatus est illi vendicare. Multò verò magis ad dexteram Dei ex-

altato & semper viuenti, conscij, quod si per mortem illius, cum adhuc inimici essemus, Deo sumus reconciliati, multò magis iam reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Addo etiam quod iustificati eius sanguine nunc seruabimur per eum ab ira, Rom. 5.9.10. Audiamus iam Isaiam vaticinantem de eo cap. 9. Par. uulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia à modo vsq; in sempiternũ: Zelus Domini exercituum faciet hoc. Item cap. 11. 1.2.3.4. Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet: Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis: Et replebit eum Spiritus timoris Domini, non secundum visionem oculorum iudicabit, neq; secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in Iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium: Et erit Iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Testatur idem Ioannes cap. 2.25. & 16.30. C 21.17. Et quia opus ei non erat, vt quis prohiberet testimonium de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. Itẽ. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget, in hoc credimus quia à Deo existi:

Hic optime Lector vno compendio habes omnia, scientiam, & summam beneuolentiam cum pace, & imperium nunquam finiendum. Quis iam quæso dubitabit huic Heroi supplex esse, quem Zelus Iehouæ, Domini inquam exercituum, in tantam sublimitatem euexit? Ad noui Testamenti testimonia veniamus, vt possimus cognoscere, omnia hæc in Christo ex virgine nato ad plenum impleta esse. Ioan. 1.14. Vidimus gloriam eius, gloriam (inquam) vt vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate. Item v. 16. Ex plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia. Item vers. 18. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus existens in sinu Patris ille enarrauit. Item vers. 32. Vidi Spiritum descendentem super eum de cœlo, quasi columbam, & mansit super eum. Item vers. 49. Dicit Christus Nathanaëli: Priusquam te Philippus vocaret quum esses sub Ficu, videbam te. Ad quam vocem consternatus Nathanaël, respondet, Rabbi, Tu es filius Dei, Tu es ille Rex Israël. Item cap. 3.34. Nam is quem misit Deus, verba Dei loquitur, non enim huic ad mensuram Deus dat Spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Consonant his quæ Matthæus habet cap. 11.27. Omnia tradita sunt mihi à Patre meo, & nemo nouit filium nisi pater, neq; patrem quisquam nouit nisi filius, & cuicunq; voluerit filius reuelare. Venite igitur ad me omnes qui laboratis & estis onerati, & ego dabo vobis requiem, ac

inuenietis

inuenietis requiem animabus vestris. 28. 29. *Item* Ioan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita & Filio dedit habere vitam in semetipso: Et potestatem dedit ei etiam iudicium exercere quod filius hominis sit. Item* Mat. 9. 4. *Videt cogitationes hostium suorum, quid in cordibus suis concipiant, easq; illis obijcit, neq; quisquam inficias ire potest rem aliter habere. Sic* Ioan. 11. 14. *Lazarus amicus noster mortuus est, & gaudeo propter vos quod ibi non fuerim, sed eamus ad eum. Item cap.* 13. 3. *Sciens Iesus quod omnia dedisset ei pater ad manus, & quod à Deo prodierit, & ad Deum abiret, surgit à Cœna, &c. Et inter summos cruciatus cum in cruce penderet, audi qnid de illo Ioannes testetur cap.* 19. 28. *Posthæc sciens Iesus quod iam omnia perfecta essent, vt etiam Scriptura impleretur aut perficeretur, est enim teleiothi, dixit, Sitio. Multa sciens & prudens prætereo, quæ à Christo prædicta fuêre, & omnia ita impleta sunt, vt nullus dubitationi restet locus, de toto regimine Ecclesiæ, persequutionibus, & restitutione prædicationis Euangelij: De pœna hostium: de vastatione & excidio Hierosolymorum, dirutione Templi, & quod iam domus Iudæorum deserenda esset à Deo, tum de signis aduentus sui: illa enim etiam pueris nota sunt cum sint obuia, adeoq; in cordibus hominum confirmata, vt nemo sana mente præditus illa in dubium vocet. Nempe quod iam per hæc testimonia satis euidenter probatum est, nihil eorum Christum latere posse, quæcunq; ad nostri curam pertinent: neq; id temerè. Illi enim Spiritus, gratiæ, veritatis plenitudinem dedit pater: imò etiam Deitatis plenitudinem vt in illo corporaliter inhabitaret, cum omnibus thesauris sapientiæ & scientiæ Dei. Excipiet adhuc aduersarius: omnia quidem quæ commemorata sunt Christum possedisse, & quod vsum illorum exercuerit, sed in diebus carnis suæ: nunc verò illum esse in quiete, quia cœlorum habitaculo detineatur: Ac proinde nequaquam illi amplius curæ esse suam Ecclesiam, quam iam patri commendauerit, imò verò expectare aliud regnum, in quo cum suis regnet constituto tempore. Hæc verò sine fronte dici quis non videt? Verum quidem est, quod Christus, quum iam iam moriturus esset, cum patre multa loquutus, illi curam suorum Apostolorum tradiderit, postmodum & se patri commendauit, vt in hoc mortis certamine palam declararet pater, quam gloriam apud se illi parauerit. Quod etiam statim, vbi mortuus est Christus, in cruce satis euidenter apparuit, cum & cœlum obscuritate sua, & terra inusitato tremore, petræ fissione sua testata sunt. Consternatio item non solum populi, verùm etiam Centurionis & militum, qui ad conspectum horum omnium fuêre perculsi, erumperentq; in has voces, verè filius Dei fuit homo iste. Alij plangentes & percutientes pectora, in vrbem redibant. Nam huic spectaculo hoc etiam accedebat, quod sepulchra certatim aperirẽtur, multiq; ex sepulchris virtute mortis Christi excitati prodierunt, qui post resurrectionem Domini postea visi sunt Hierosolymis. Sed postquam Christus à mortuis victor & triumphator rediuiuus apparuit, non ne suorum illico curam recepit? an non manifestè & Magdalenæ mandat & mulieribus, vt resumpto animo ex consternatione, profectæ indicarent Apostolis, illum iam frustra quærendum esse amplius viuentem inter mortuos. Imò recordarentur sermonum eius,*

quos

XXVIII/E

quos ab illo audierunt satis perspicuos, cum adhuc cum illis degeret in Galileæ territorio. Postmodum & præsentia sua tum Emauntem euntibus, tum etiam illis vndecim, qui se intra conclaue, ob Iudæorum metum, continuerant, idem ipsum confirmauit, manibus pedibusq; transfixis exhibitis, deniq; & lateris manifestatione. Etiam Thomam incredulum coegit, vt fixuras clauorum perscrutaretur digitos imponendo, & vulnus lancea inflictum, manu admota lateri. Sed omnium maximum est, quod tot testimonijs iam confirmatos, per totos quadraginta dies, suos de Regno Dei instruit, postremo & in montem olearum eductos, nouis mandatis instruit, vt se tantisper Hierosolymis contineant, quousq; virtute de cœlis induantur, hoc est Spiritum sanctum acceperint, quo freti, intrepidè de illius resurrectione testarentur, & prædicarent nomine illius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, initio facto à Hierosolymis. Quæso igitur te, non est hoc curare, dum regit, arguit incredulitatis suos, mandata dat, & instruit? Rursum Apostolos ipsos intuere, quomodo Domino obtemperent, per omniaq; illius dictio sint obedientes. Hierosolyma enim redeunt, ibiq; vnà cum matre Iesu, & alijs honestissimis matronis, alijsq; fidelibus coniuncti & precantes, promissum Christi expectant. Imò ne testis desit, qui Iudæ locum expleat, eligendum illi cætui offerunt, vt per Spiritus sancti inaugurationem huic muneri Apostolico destinaretur. Quid quæso est à Christo pendere, si hoc non est? Certe hic ministerum nemo in locum Christi supposuerit. Nondum enim illis eo fungi concessum est, nisi post donationem Spiritus sancti. At quis obsecro misit Spiritum sanctum? nonne Petrus hoc Iesu Nazareno vendicat qui crucifixus fuerat? cum sic ait. Dexterea igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus accepta, effudit in nos quod videtis & auditis. Num obsecro hoc est quiescere? Cæterum dabit fortasse & hoc aduersarius, totum hoc per manus Christi contigisse, at postquam in cœlis conquieuit, dato alio paracleto à patre, qui vices Christi expleat in eius ministris, non posse demonstrari, quod nunc etiam idem præstet, agatq;. Certè hoc loco quis non miraretur insignem temeritatem? Relinquitur ergo probandum & demonstrandum, quod Christus Dominus dato Spiritus sancto quem à patre accepit, non quiescat, sed habeat curam suorum, vt illos Spiritu suo sancto regat, virtuteq; sua protegat, ne quisquam possit è manu illius eripere, quos illi pater dedit. Quuod quia aduersarij Ministerio Apostolorum, & eorum qui hos sequuti sunt acceptum ferunt, & non Christo ipsi: videndum erit, vtrum Spiritu sancto duce in veritatem ferantur. Commodum autem offert se nobis exemplum, quod Lucas describit Act. 3. 12. vnde luculenter quisq; videre poterit, post illam donationem Spiritus sancti, cuinam Apostoli acceptum ferunt totum illud, quicquid per eos gestum est. Petrus certè ita populo in Porticu Salomonis, de claudo qui sanatus fuerat, rationem reddit: Viri Israelitæ, quid miramini super super hoc, aut nos quid intuemini, quasi propria virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare? Hic modus loquendi, vim negationis habet. Dicit autem. Deus Abraham & Isaac & Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos perdidistis & abnegastis in conspectu Pilati, quum ille

iudicasset

iudicasset eum absoluendum: Et interiectis quibusdam. Per fidem in nomen ipsius, hunc quem conspicitis ac nostis, confirmauit nomen ipsius: Fides inquam quæ per ipsum est, dedit isti integritatem hanc corã omnibus vobis. Item ca. 4. 33. Apostoli magna vi edebant testimonia resurrectionis Domini Iesu, & gratia magna erat super eos omnes. Item cap: 5. 28. Pontifex maximus sic Petrum alloquitur, quem vnà cum alijs Apostolis carceri mandauerat, propter virtutes præstitas, quas etiam vmbra Petri aduenientis efficiebat, sic exprobrat cum comminatione. Nõne etiam atq; etiam denunciauimus vobis ne doceretis in nomine isto: & ecce repleuistis Hierusalem doctrina vestra, & uultis super nos inducere sanguinem HOMINIS huius. Quid verò Petrus & Apostoli respondent: Obedire oportet Deo (inquiunt) magis quàm hominibus. Deus enim patrum nostrorum excitauit Iesum, quem vos interfeciſtis suspensum in ligno. Hũc Deus dextera sua exaltatum Principem & seruatorem constituit, vt daret pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum. Et nos sumus testes eorum quæ dicimus uerborum: Præterea & Spiritus sanctus, quem Deus dedit ijs qui sunt persuasi de eo, seu qui obediunt ipsi. Hic vides pulcherrimam distinctionem & clarissimam demonstrationem imperij Domini nostri Iesu Christi, quam efficaciam in illis exeruerit, qui nomini illius fuêre addicti, post illius à morte resurrectionem, addo & in cœlos ascensionem. Videsne num Petrus unà cum reliquis Apostolis, fretus miraculorum virtute, se pro Christo iactet: Cuiue Spiritus sanctus testificationem acceptam fert: nonne regi, qui à mortuis uiuit: Sed & Stephanus moriens, cuius fide & spiritu erat plenus, vt tam crudelem mortem subiret: cuiusq; opera diductum cœlum uidet & unà gloriam Dei: nonne eius cui etiam spiritum addicit, ac moriens ut datori uitæ tuto commendat: Sic cum Saulus anhelans ex minis & cæde sanctorum, num inscio Christo furit, aut à quo tandem corripitur: Sed in illa prostratione, cum quærit quis in illo deturbando tanta luce uim suam exerat, uidet. Ego sum Iesus quem tu persequeris: Sed durum est ac difficile ut meos stimulos calce excipias. Repetit idem Ananias & dicit, Iesus qui tibi uisus est in itinere. Cui cũ se subiecisset, statim & Christum & filium Dei à baptismo prædicat. Hæc sunt illa apodeigmata & luculentissimæ demonstrationes, quæ euincunt contra Christi aduersarios, illosq; confundunt, Christum scilicet à resurrectione non amplius morti esse obnoxiũ, sed uiuere & regnare, ut sibi fidentes asserat. Nec desunt alia quoq; testimonia illius regiminis his cõsona, ut est uidere Apoc. 2. 18. Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & similes pedes chalcolibano. Noui opera tua & charitatem, & subministrationem & fidem, & tolerantiam tuam, & opera tua, & ultima plura prioribus. Sed habeo aduersus te pauca, quod permittis mulierẽ Iezabel, quæ se dicit prophetissam, docere & seducere seruos meos, ut scortẽtur, & edant ex eis quæ simulacris immolãtur: Et dedi illi tempus ut resipisceret à scortatione sua: & non resipuit: Ecce ego abijciam eam in lectũ, & eos qui adulterium cõmittunt cũ ea, in afflictionem maximam, nisi resipuerint ab operibus suis: Et filios eius interficiam morte: Et scient omnes Ecclesiæ, me esse scrutatorem renum & cordium: Et dabo unicuiq; secundum opera

XXIX/6

sua. Quid per Deum vafrities hominum hic efficiet? quo pacto testimonium hoc abolebit? Euicimus iam per Dei gratiam Christum in cœlis ad dexteram maiestatis Dei constitutum nihil penitus latere, quominus omnia videat & requirat, quæcunq; dextrè vel perperam agant serui illius, aut si qui sunt, qui nomine eius quippiam patiantur. Quod etiam in nouissimo die, tam fidelibus quam reprobis se in memoriam reuocaturum pollicitus est, & eo nomine vel premia vel pœnas, prout quisq; se gesserit, magna virtute & authoritate redditurum. Vti Matt. testatur cap. 25. 34. & 41. De qua re pulcherrimas parabolas apud eundem Euangelistam facile est videre. Nunc de voluntate Christi, & ipsius propensissimo amore quædam dicenda sunt, ne etiam quis inducat in animum, illum à voluntate paterna multum distare. Iam verò commodum se nobis offert Matth. qui differens de quodam homine læpra percusso, sic cum Domino colloquentem inducit. Cap. 8. 2. Domine si vis potes me mundare: At Iesus extenta manu illum tetigit inquiens: volo mundus esto. Item Ioannis cap. 15. 13. Maiorem charitatem hac nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Item Heb. 10. 9. vt faciam ô Deus voluntatem tuam. In quo vides per omnia Christum voluntati paternæ, suam quoq; etiam in morte subeunda attemperasse. Rursum quid hac voce dulcius? Venite ad me omnes, qui laborati & onerati estis, & ego reficiam vos, anapauso, faciam vos quiescere. Tollite iugum meum super vos, & discite, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Item, ego cum exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Item, Ego pono animam meam vt iterum sumam eam: Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam, à meipso: Potestatem habeo: Item Ioan. 17. 19. Et pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati per veritatem. Excipiet Antagonista. Hæc omnia vera esse, quod Christus vsq; ad finem suos dilexerit, quos ab initio dilexit. Cæterum in morte omnem suam sollicitudinem de ouibus in Patrem reiecit. Sed benè habet quod nobis hæc concedit aduersarius, speramus enim, quod, cum id quod prius sit concedit, etiam quod posterius, daturus est. Nos verò etiam hoc perquiramus, qua spe fulciuerit animos suorum, ne ob eius carnalem discessum fatiscerent. Dicit itaq; Ioan. 14. 1. Ne turbetur cor vestrum neq; formidet. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, alioqui dixissem vobis, abeo paraturus vobis locum. Et quum profectus fuero, ac parauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Eodem cap. vers. 16. Ego autem rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: Spiritum inquam veritatis quem mundus non potest capere. Et mox: Redibo ad vos, non relinquam vos orphanos. En Lector Christiane manifestè vides. quàm nihil nobis decesserit, quod Christus à nobis recesserit carne, ac præsentia corporali, imò verò multum nobis commodi adfert, quod illum nostra causa, nostroq; nomine abiisse audimus, vt nobis locum paret, vt pro nobis intercedat, appareatq; conspectui Dei pro nobis. Rom. 8. 34. Heb. 9. 24. Et cap. 7. Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus. Et quum de sacrificij eius præstantia disse-

ruisset,

ruisset, addit. Sermo iurisiurandi filium constituit in æternum consummatum. Sed exemplis adductis res fiet clarior, veniat ergo nobis in mentem repressio Saulis, dum Damascum proficiscitur, vt pios etiam illic affligat, quemadmodum Hierosolymis in masculos & fœminas sæuijt. A quo verò prostratus est Saulus, quis illius rabiei eripuit illam imbellem, & iam ob ipsius aduentum trepidantem fidelium manum? sicuti apud Christum ipsummet Ananias lamentatur. At certè Christus totum hoc compressit. Illudq; quod suis pollicitus fuerat, reipsa præstitit, nempe quod non est passus orphanos ab hoc Tyranno opprimi. Item in Apocalypsi cuius mandato Angelus mittitur ad septem Ecclesias, vt, quæ rectè facta sint confirmet, quæ verò deprauata sunt corrigat vnà cum illarum ministris, nonne filij hominis? Cæterum iam voluntatis amorisq; Christi, perspicua testimonia accepimus, quæ ab Isaia pulchrè confirmãtur cap. 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum & voluntas Domini in manu eius dirigetur: Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur: In scientia sua aut cognitione sui, iustificabit ipse seruus meus iustus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Sed eius farinæ testimonia passim sunt obuia. Restat vt de virtute & potentia Christi disseramus, diligentissimeq; excutiamus Scripturas sacras, vt possimus cognoscere an Dominus noster Iesus Christus tanta sit præditus authoritate vt præstare possit quod precibus ab illo pij efflagitauerint. Iam autem qua potestate vsus sit cum in terris ageret, infinita exempla palam docent, quæ diui Euangelistæ conscripserunt. Quid enim illius potestati non cessit? Annon ipsius imperio tot legiones dæmonum, summa cum vociferatione parere coactæ sunt? Quid dicam de vento & tempestate maris, quæ omnia verbo compescuit, ita vt turbæ admiratæ dixerint, Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Rursum tot ægritudines, tot naturales defectus in hominibus, nonne imperio mandatoq; suo restituit? Quid mortui, an non ipso iubente reuixerunt? Neq; in hominibus solùm restaurandis hac virtute vsus est, vt surdos fecerit audire, mutos loqui, claudos rectè incedere, & id genus planè infinita: verum etiam in ipsis elementis, cum aquam in vinum vertit, ficum verbo increpationis arefacit, aquam pedibus Petri subijcit, vt super aquas ambulare posit: Et quæ non? Sed quod remittendi peccata authoritatem habeat, Spiritum sanctum conferat, cor ardere facit, quæ iam sunt spirituales actiones, quibus homines adducti, adorant, prosternuntur, inuocant intercedunt, quæ omnia tantum abest vt respuat, imò verò neminem abire absq; curatione patitur: alios verò nihil tale cogitantes vltro sanat. Quod autem non aliqua inducti opinione, aut rumore vano talia beneficia sint consequuti, responsa Christi docent: Fides tua te seruauit. Item Lucæ 7. 9. Talem fidem in Israel non inueni. Item ô mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Item, Si possis credere, omnia sunt possibilia credenti. Contra verò cum esset in patria sua, vbi super eo offendebantur, dicit Scriptura, quod ibi non fecerit virtutes multas propter incredulitatem eorum. Sed omnium maximum signum est quod ipse præ alijs omnibus inculcat, signum inquam Ionæ Prophetæ. Quod vltro mortem obierat, & ex morte victor rediuiuus apparuit, palamq; triumphauit per semetipsum, de-

xxx/6

uictis hostibus, peccato, morte, inferno, & Satha:na: in quo etiam, quæ fuerit authoritas sua, Iudæis demonstrauit, inquiens. Destruite Templum hoc, & in triduo reædificabo illud, hoc verò dicebat de corpore suo, inquit Ioan. cap. 2. 21. Atqui ne hoc quidem impugnabit aduersarius, immo verò victus testimonijs euidentibus sacræ Scripturæ vel inuitus concedet. Cæterum quod eadem potestate nunc quoq; Christus vtatur in cœlis existens, nullo modo concedet, quæris causam? quia non videt talia signa nunc fieri, qualia cum in terris ageret Christus fecit: ac proinde illi totum regnum, quantum in illo est adimit. Nos verò videamus quàm commodè omnia Christus dispensat. Cum enim in terris ageret, & à Scribis ac Phariseis accusaretur blasphemiæ, quod peccata remisisset homini: ait: Vt sciatis autem, quod filius hominis habet potestatem remittendi peccata in terra: tum dixit Paralytico, accipe lectum tuum & abi in domum tuam. Nunc verò cum ad patrem per ascensionem abiturus esset, accersitis discipulis omnibus, inquit, Data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra, Matthæi vltimo. Et apud Marcum: Signa autem eos qui crediderint hæc consequentur: Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis: Serpentes tollent: & si quid lethale biberint, non nocebit eis: ægrotis manus imponent, & benè habebunt. Dominus ergo postquam loquutus est, sursum receptus est in cœlum, & sedit ad dexteram Dei: illi verò egressi prædicauerunt vbiq;, Domino vnà operante, & sermonem cõfirmante per signa subsequentia. Habes iam pulchrè delineatam potestatem in terris. Cuius rei exempla in Actis palàm sunt obuia, vbi ea omnia verificata cernere est, quæcunq; Christus virtutis & potestatis suæ in terris pollicitus est testimonia. Proinde quicquid vsq; Apostoli fecerunt dixeruntue, id totum vni Christo acceptum ferunt. Audi Petrum cum Ioanne, cuinam sanationem claudi illius vendicat, num sibi? sed Petrus hoc pernegat inquiens, Act. 3. 12. Viri Israëlitæ quid admiramini super hoc, aut quid oculos intentos habetis in nos, quasi nostra potentia aut pietate effecerimus vt hic ambulet? quid igitur accidit mi Petre? Respondet. Deus Abraam & Isaac & Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos perdidistis, & abnegastis in conspectu Pilati, quum ille iudicasset absoluendum. Vos autem sanctum illum & iustum abnegastis, & postulastis homicidam donari vobis: Autorem verò vitæ trucidastis, quem Deus excitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Sed vide quæso fructum huius glorificationis ex resurrectione, quem pulchrè Petrus inde elicit, inquiens. Et per fidem in nomen ipsius, hunc quem videtis & noscitis, confirmauit NOMEN ipsius: Fides inquam quæ per ipsum est, dedit isti holoklerian tauten integritatem hanc, hoc est vt omnia membra integra haberet, coram omnibus vobis. Vide etiam Actor. 10. 34. quomodo salutem Aeneæ Lyddæ ægrotanti adferat Petrus, ab octo annis in grabbato decumbenti, erat enim Paralyticus: ait enim. Aenea sanat te Iesus Christus, surge & sterne tibi ipsi: is autem statim surrexit. Vide iam Christiane Lector, quod Petrus sanationem & illius claudi, & huius Aeneæ, non propriæ virtuti aut pietati acceptam ferat, nam per hæc non facile Christi Ministerium fuisset commendatum: sed simpliciter Iesu Christo. Qua fronte itaq; imo quàm proterue aduersa-

aduersarius asseret Christum nunc esse cœlo inclusum & interceptum, vt iam ibi quiescat, neque vllam suorum curam habeat, tantum abest vt in illorum gratiam quicquam præstet, illisq; bene esse velit: Sed hic contraria videmus. Quæramus etiam ex alio Apostolo, Paulo inquam electo organo, vnde illi tanta virtus, vt signa Apostolatus manifesta in se faceret. De hac re Romanis scribens, his verbis rationem reddit. Non enim auderem loqui quippiam eorum quæ non effecerit Christus per me, in obedientiam gentium sermone & opere. In potentia signorum & prodigiorum, virtute Spiritus Dei. Et quæ sequuntur Rom. 15. 18. Etiam Corinthijs minatur cap. 13. 3. Quandoquidem experimentum quæritis in me loquentis Christi, qui erga vos non est infirmus, viuit tamen ex potentia Dei, Vbi etiam capite superiori mentionem fecerat signorum, prodigiorum, & virtutis in functione sua. Obsecro verò per Deum immortalem, cuinam potius fidem habebimus, Apostolisne, qui nihil tale de se prædicant, sed totam vim Christo acceptam ferunt, sicut ab ipsomet Christo fuerunt edocti: an verò istis hominibus, qui perspicua illorum testimonia suis cauillis perpetuo eludunt? Hoc autem totum accidit ideo, quod Christus affuturum se suis est pollicitus vsq; ad seculi consummationem. Matthæi vltimo. Sic alio quoq; loco Dominus ait: Sine me nihil potestis facere. Quomodo autem consonum fuerit, quod Christus cum in terris ageret, functus Apostolatu apud Circumcisos, in forma serui existens, & nondum esset glorificatus, omnia sciret, vt non opus esset illi de homine interrogare, deinde ea voluntate & beneuolentia præditus, vt passim omnibus bene faceret: deniq; tantam virtutem exeruerit: Nunc verò accepta omni potestate in cœlo & in terra, euectusq; in summum honorẽ, qualis nulli Angelorum contigit, gloria & honore à Deo insignitus, iudex viuorum constitutus item & mortuorum, regnum acceperit restitutionis causa omnium, omniaq; per illum sunt pacata in cœlo & in terra, subiectiq; sibi Angelos, potestates, virtutes, deniq; qui potest sibi subijcere omnia: caput à Deo datus angelis & hominibus, ita vt etiam ex ipso omnis cognatio vel affinitas in cœlis & in terra denominaretur, vt omnes illius nomine censerentur: Nunc inquam tale regnum adeptus, quod transire neutiquam poterit, nihil penitus sciat, nulla illum cura suorum tangat, nihil deniq; cuiquam præstet. Nonne qui illum regem dicit, palam illi illudit, multò acerbius quàm illi milites Pilati, qui imposita spinea corona, regem illum Iudæorum salutabant: nunc verò ne hanc quidem habeat? Proh impietatem & inauditam prioribus seculis peruicaciam. Cæterum ista tam plana, tamq; perspicua, nondum etiam adamantinum pectus mouent, quin pergat adhuc Mandatum vrgere. Hoc verò perinde est atq; cum Iudæi pendenti Christo subsannabant, vtq; de cruce descenderet vociferabantur, quasi tum demum illi crediturí. Si enim de mandato constabit, minime hic conquiescet: sed exempla postulabit: Hæc rursum si proferemus, iterum formam obijciet, sed ne his contentus quidem, quæret amplius, quænam bona aut beneficia petenda sunt, spiritualiane an corporalia, an verò vtraq;, & hæc vbi demonstrata fuerint, excipiet. Sed cur nõ potius hæc à patre petuntur, à quo omne datum optimum descendit? Ita miser pedetentim ex vno in aliud delabetur, donec simpliciter

XXXI/6

negauerit Scripturis sanctis habendam esse fidem, sicuti huiusmodi farinæ hominibus hic etiam in Polonia accidit. Nos verò vnde potius incipiemus, vt tam acriter instanti aduersario respondere commodè posßimus? Quæramus autem ab illis primis cultoribus Christi, qui illum adhuc in carne existentem adorabant, illiq; supplicabant, etiam pro alijs tum infirmis iamq; animam agentibus, tum etiam à dæmone oppreßis intercedebant. O vos cultores Christi & adoratores candidi, qui summum in terris honorem Iesu Christo præstitistis, vt illum adoraretis, ac inuocaretis adeste quæsumus, nosq; ea maxima anxietate quantum in vobis est eximite: Nunc enim honos Christi in dubium vertitur, quo illum nondum glorificatum prosequuti estis. Dicite nobis causam, qua audacia tantum facinus ausi estis aggredi, vt hunc honorem Christo homini & filio Dauid assereretis. Te primum appello Iaire, qui es princeps eorum, qui synagogam frequentant, & singulis diebus ex lectione legis audiunt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: cur posthabita legis diuinæ doctrina ad pedes Christi pronus prosterneris, illiq; supplicas vt domum tuam ingressus filiam tuam morti eripiat. Ostende quo mandato hoc facis? cuius exemplum te mouet? à quo hunc modum didicisti? Dauidis progeniem adorandi? Num te amor filiolæ ita transuersum abripuit, vt illius causa honorem Deo soli debitum ad aliud transferas, in quo nullus splendor, nulla apparentia externi apparatus conspicitur? Tu quoq; ô fœmina, quid tibi in mentem venit, vt auderes tale facinus, ex attactu fimbriæ sperare tam diutinæ in firmitatis salutem? quid vestis hæc sanctitatis habet aut virtutis vt tantam spem de illa conciperes? Quid tu Regie Capernaita? qui fit quod filiolum tuum iam animam agentem deseris, domoq; egrederis, vt Christum requiras, eiq; tutelam imò liberationem à morte tui filioli committas? Sed quorsum ex imbecilla plebe exempla sumemus, qui ne ipsi pro se respondere possunt, quamuis ex Israele sint oriundi, & in lege patria exercitatißimi? Nam si ad simplicem plebem, imò etiam Samaritanos addere libet & Chananæos, rumor de Meßia venturo ita obtinuerat, vt non solum venturum Meßiam scirent, sed etiam, quod omnes de cultu & via salutis instructurus fuerit: verumetiam (vt ex Chananea discere licet) cattelli hoc est gentes ex fragmentis satiandæ essent.

NB macti.

Quid de primoribus dicemus, & in lege exercitassimis, Scribis inquam & Pharisæis, qui Herodi quærenti, vbinam locorum Christus nasceretur, maxima fiducia respondent: Illum in Bethlehem, Iudeæ territorio nasciturum. Ex quibus nobis prodeat inter suos facile primus, qui etiam si ex patre Pharisæo esset oriundus, & supra coætaneos suos ad pedes Gamalielis in lege & maiorũ institutis apprimè edoctus: præterea etiam apud semetipsum constituerat aduersus nomen Iesu Nazareni multa contraria facere, tamen & ipse die medio luce cælitus delapsa, quæ splendorem solis superabat, ita fuit perculsus suo maximo incommodo, vt statim se subijceret, & Dominum agnoscens cum demissa subiectione, imperata se facturum pollicetur, neq; aliud habet, quid causæ

apud

apud Agrippam Regem, & Festum præsidem, cæterosq; Iudeæ primates præ-
texat, quàm quòd non potuit cœlesti visioni esse apeithes, hoc est qui non cede-
ret, tanquam firmissimæ persuasioni. Hic est ille Paulus, qui præter alios om-
nes non solum vas electionis appellatus est, quippe in tertium Cœlum & Para-
disum raptus, multa didicit, quæ nefas esset humano ore proloqui. Hic in-
quam, qui omnia se posse asserit propter Christum à quo confirmabatur. Hic
denicq; qui pluries cum Domino Iesu Christo colloquutus, illum toties roga-
uit, vt à stimulis Sathanæ liberari posset. Qui etiam supra omnes pro nomine
eius patitur, & absq; vlla defatigatione laborat. Quis iam tam impudens erit,
vt cum Paulo summo iure agat, illiusq; factum dum Christum inuocat ad cal-
culos reuocet, vt rationem reddat facti sui, quod effuso pectore Christum in-
uocet? De præcepto, de exemplis, de forma inuocationis secum agat? nisi velit
suo malo contra stimulos calcitrare, &c. Hæc non ideo dicuntur quasi veli-
mus in re tanti momenti tergiuersari, aut nolle de plano respondere: Sed vt
Lector agnoscat, quàm faciles fuerint, Christo summum honorem exhibere,
siue in terris degenti, siue quod adhuc maius est, ad dexteram Dei sedenti, qui
ex hominibus primi Christo nomen dare non detrectauerunt. At nos pro his
omnibus vnum Christum audiamus, qui nobis causam manifestè aperiat, quã
obrem ab his cultoribus siue in terris agens, siue iam subuectus in cœlum, hunc
honorem recipiat, quem non solum Petrus sibi à Cornelio non patitur exhibe-
ri, sed ne Angelus quidem Ioannem adorantem se ferre potest. Quid igitur di-
cit? Fides tua te seruauit. Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Talem fidem in
Israel non inueni. Item, si credere potes, omnia sunt possibilia credenti, & alia
plurima quæ Euangelistæ habent. Sed ne hic quidem mens conquiescere potest,
nisi quo fulciatur habeat. Iam & hoc Christus non reticet, cum ait. Opera quæ
ego facio nomine patris mei, illa inquam opera de me testimonium reddunt,
quod me pater miserit: Et si mihi credere non vultis, operibus credite. Hæc ita-
que opera maioris momenti esse, quàm testimonium Ioannis, quo nullus maior
inter natos mulierum surrexit, ipse Christus testatus est, vti Ioannes Euangel-
ista clarissimè docet, cap. 5. 36. Duo itaq; à Christo audimus, quæ vim mandati
habent, fidem nimirum & opera, quæ nomine patris sui cœlestis faciebat. Si ita-
que nos quoq; hanc fidem consequemur, & operibus, qualia nunqnam quis-
quam ante Christi aduentij fecit credemus, quis merito de nobis conqueri po-
terit, quasi qui diuinam maiestatem læserimus, quod Christum in carne adora-
re cum tanta nube testium ausi fuerimus, imò verò, quem iam scimus potitum
esse cœlo, & regnare oportere, accepta summa à Deo in cœlo & in terra pote-

state:

XXXII/6

statec Iam mandata proferamus. Audimus ergo Deum ipsum patrem clementissimum, qui nobis & ad Iordanem & in monte Tabor filium suum dilectissimum manifestat, ac si ait vnà cum visibili signo Spiritus sancti demissi de cœlo, qui & mansit super eum. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacuit, hunc audite. Confer iam cum testimonio Mosis: qui hunc Prophetam non audierit, ego vltor existam: Ego enim, inquit Iehoua, ponam verba mea in ore eius. Qui itaq; Christum recipit, nonne patrem ipsum qui est Deus omnis creaturæ, & omnium Dominus, recipit? Omnis iam authoritas inuocationis Domini nostri Iesu Christi, ex ore ipsius pendet. At hic quem sibi honorem fieri vult? Audi Prophetas de eo vaticinantes, qui promissiones à Deo Israeli factas interpretantur. Isaias certé sic habet cap. 11. 10. Erit radix Iesse, illa quæ stat in signum populorum, ipsam gentes requirent, ijdroschu textus Hebræus habet. Quid autem per hanc quærendi vocem Scripturæ sanctæ significent, vltra sexcentos locos, quibus liber Psalmorum est vbiq; refertissimus, vnus Isaiæ locus nobis satisfaciet. Sic enim habet cap. 55. 6. & 7. quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, ac conuertatur ad Dominum & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Et ipse Christus Matt. 7. 7. 8. Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Quisquis enim petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur: Et hæc est causa cur Habacuc Prophetes, Messiam vocat desideratum cunctis gentibus. Huc confer quod Apostolus ex Psalmo 97. 7. Ebræis scribens adducit: Et adorent eum omnes Angeli eius: Audiuit & lætata est Sion: Et exultauerunt filiæ Iudæ propter Iudicia tua Domine. Vbi vides ita mandari Angelis Messiæ adorationem, vt etiam Sioni cultus hic magnam lætitiam adferat. Quæris causum? In promptu est: Quia scilicet Caput est & fidelium & Angelorum. Ideoq; etiam gaudium est in cœlis coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitente. Deniq; secundum dictum Christi, nos oportere ad instar angelorum refingi, quam iustam autem causam haheant huius cultus, Paulus manifestauit. Col. 1. 20. Dicit enim ita Deo esse adlibitum, vt in Christo habitaret omnis plenitudo, vtq; per sanguinem crucis eius stabiliret pacem, & per eum reconciliaret omnia sibi, per eum inquam, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis, quibus consona Ephesinis quoq; scribit Apostolus cap. 1. 10. vocatiq; hoc ipsum Mysterium voluntatis suæ. Lege insuper eiusdem Epistolæ cap. 3. integrũ, vbi inter cætera huius quoq; Mysterij meminit: præcipuè vero: vers. 10. vt nota nunc fiat per Ecclesiam imperijs ac potestatibus quæ in cœlis sunt, multiformis

sapientia

sapientia Dei. Habes iam Lector Christiane, dulcissimæ sympathiæ descriptionem inter Angelos & fideles, quæ illis intercedit coadunatis sub vnum caput: Christum inquam Dominum. Quis iam inficias ibit, quod Angelis dictum est, & illi alacres præstant, ad fideles nequaquam pertinere? accedunt enim illi, ministrant ei. Quod in natiuitate ipsius, tentationibus à Sathana immissis, morte, resurrectione, & in cœlum ascensione satis manifestè apparuit. Immo etiam venienti in iudicium frequentes aderunt. Illos enim Messores futuros Christus dixit, tum Zyzaniæ ad exurendum, tum Tritici vt in Horreum æterni gaudij colligatur. Matt. 13. Nos verò hanc ei operam impendere detractabimus? ô ingratitudinem. Sed noui Testamenti thesauros perquiramus, num aliquid in illis continetur quod huc faciat? Præsto autem adest Christus, qui amicissima voce nos compellat, Venite, inquiens, omnes ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, tollite iugum meum super vos, & discite à me, quod mitis sim & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Matt. 11. 28. Quomodo autem nunc illum quæremus, vt & vaticinio Prophetæ & Christi mandato credere moremq; gerere possimus, ipse Christus pulcherrimè hoc enucleat. Ioan. 7. 37. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me sicut dicit Scriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quid autem fides parit, annon inuocationẽ? vt ait Paulus Rom. 10. 14. Quomodo autem inuocabunt eum in quem non crediderunt? Vnde liquido constat, qui Christum non inuocant, ne credere quidem in illum, quicquid de fide in Christum & illius notitia blaterent. At videamus paulisper causam istius tanti cultus & honoris, de qua nobis Christus abundè differit. Ioan. 6. 22. & 23. Non enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorent filium, quemadmodum honorant & patrem. Et adhuc dubitabimus hunc honorem Christo habere, quem scimus nobis esse constitutum iudicem, vt nos è cauernis sepulchrorum nostrorum voce sua excitatos, ita glorificet, similesq; reddat corpori suo glorioso, vbi virtute sua transformauerit, qua sibi omnia subijcere potest: denicq; in possessionem regni, quod nobis apud Deum paratum est in cœlis, vt regni illius hæres perducat. Iam verò qui honorem nunc non præstat filio Dei, verum etiam, quantum in illo positum est summa contentione eripit, cui quæso se opponit, nõne Deo, in quem tota hæc iniuria recidit, Ioanne ipso Apostolo & Euangelista teste, qui sic sermonem concludit: Qui non honorat filium non honorat patrem qui misit eum? Tantum itaq; abest, quod aduersarij vrgent, vt Deo debitus honor eripiatur, ideo quod Christum Dominum & seruatorem nostrum inuocamus,

XXXIII/4

Imò verò qui honorem hunc Christo non exhibent, ne DEVM quoq; honore afficere. 2. Ioan. 2. 23. Qui enim negat filium, nec patrem habet. Habes iam Lector Christiane mandatum expressum, habes vaticinia Prophetarum, habes etiam alia pulcherrima testimonia Christi, quæ vim mandati habent, habes præmium Ioan. 12. 26. Si quis mihi ministrauerit, honorabit eum pater, habes & pœnam. Ioan. 8. 49. 50. Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, vos autem contumelia affecistis me, Atimazete me, hoc est, non exhibetis mihi honorem. Ego verò non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet. Quis iam totus non cohorrescat ad tam seueram comminationem, quam denunciat Christus hostibus honoris sui? quem rursum non alliciant tam dulcia promissa Christi, qui à patre honorandos fore pollicetur omnes quicunq; illi seruierint? & tamen sunt quos ista non mouent de quibus quid porrò sentiam, præstat potius silentio inuoluere, imò vt ad se redeant, ardenter pro illis precari. Profertur etiam à pleriscq; testimonium de inuocatione Christi, ex Ioannis capite 14. 12. 13. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad patrem proficiscor. Et quicquid petieritis in nomine meo ego faciam. Locus profecto obseruatione dignus. Primum enim fidem proponit, eiusq; virtutem declarat, fidem inquam in Christum: Deinde ex fide inuocationem, vt ex fonte legitimo producit: vti etiam ex Paulo habuimus. Postmodum inuocationis certitudinem, ne fides in precationibus vacillet, ait enim: Ego faciam. Hoc enim honori esse patri vt in filio glorificetur: Nam non est quod quis miretur, Deum facere quæcunque vult in cœlo & in terra, Psalmista teste quodq; voluntatem timentium se faciat. Cæterum cum hic humilis Christus, qui cruci affixus fuerat, quicq; in terris degens, vbi caput suum reponeret non habebat, nunc regno potitus tantum præstet, quod ab ipso fideles petere ausi fuerint: Hoc verò est quod merito quẽlibet in admirationem, imò & stuporem adducat. Sicut & Petrus omnem vim concionis suæ huc reuocat, vt quem nuper damnatum ad crucem egerunt, nũc dextera Dei exaltatum, cœlorum regem cum pœnitentia & fide agnoscant, qui potestatem habeat & remittere peccata, & spiritus donis ornare, quicunq; nomini suo per sacrum Baptisma accensi fuerint. Nec caruit successu eius contentio. Ita enim fuêre in corde perculsi, vt ab Apostolis consilium peterent, & qui libenter susceperunt sermonem, accesserunt Ecclesiæ ad tria milia hominũ. Vt autem promissio Christi maiorem authoritatem apud nos obtineat, cum asseueratione interposito iuramento confirmat: Amen amen. Cæterum sunt qui variè locum exponant, quidam enim inuocationem hanc ad patrem referri debere

ri debere contendunt sub nomine Christi, quod Christus dicat, Quia ad patrem vado: Alij simpliciter de ipsius solius Christi inuocatione verba fieri asserunt. Quod tamen videmus vtrumq; aduersarium negare: Sed quicquid est, hinc tamen manifestè colligitur, Christum tantum habere authoritatis, vt quicquid ab illo petierimus vel ipsius nomine à patre, totum illud præstare possit, ideoq; etiam repetit, Ego faciam. Et ne quem hæc Phrasis moueat, in nomine meo petieritis, quomodo nam sit accipienda: vide librum Psalmorum. Psal. 54. 1. iuxta computationem Iudæorum. Deus in nomine tuo saluum me fac. Et alibi dicit simpliciter, Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus. Vnde vides, nomen, secundum Scripturæ sensum pro eo ipso sumi, cuius est nomen. Sic Psal. 116. 4. In nomine Iehouæ inuocabo, id est, Iehouam. Item Ioel. 3. 5. Et erit qui inuocauerit in nomine Iehouæ, euadet. Hebraicè Beschem. Sic à veteri interprete acceptum locum fuisse hinc apparet, quod habeat additum, me. Si quid petieritis me in nomine meo, ego faciam. Ita sperare in nomen Iehouæ, Isaiæ 50. 10. Est sperare in ipsum Iehouam. Ita credere in nomen filij Dei. 1 Ioannis 5. 13. Est in ipsum filium Dei credere. Exempla autem inuocationis, qua conscientia, quaue fronte aduersarius à nobis requiret? Cum nemini ignota sint, qui vel à limine Euangelistarum volumina salutauerunt. Quis enim ab illo præter inuocationem & fidem aliquod beneficium accepit? acceperunt autem plane infinita: Ipso Christo attestante: Ioan. 10. Multa bona opera ostendi vobis à patre meo, propter quod illorum me lapidibus obruetis? Nos tamen pauca de multis eligemus. Cum illi duo cæci, de quibus Matt. 9. 29. Christo acclamant. Miserere nostri fili Dauid. Quid quæso faciunt? Iuuocante Christum aut quid aliud agunt? Sed Christus fundamentum in illis requirit, an credant ipsum hoc facere posse: cum de fide testati sunt, tetigit oculos eorum, & sanati sunt. Item cap. 15. 22. Quum describit Chananæum post Christum currentem ac clamantem: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male à Dæmonio vexatur, Cumq; repulsam passa iterum instat, ac suæ fidei rationem explicat, postremo audit. O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata fuit filia eius eadem hora. Item leprosi decem, vti apud Lucam scriptum legitur, cum conspecto Iesu procul stetissent, & voce sublata dicunt: O Iesu præceptor, miserere nostri: Nonne sic vociferando illi sunt supplices, cumq; inuocant, referuntq; voti sui præmium & fructum, sanationẽ inquam. Itẽ Apostoli cũ iam Christum vidissent sublatũ in cœlum, ac in cœlum oculis intentis starent stupefacti, à duobus Angelis de facto illo certiores redditi, àbsq; vllo mandato Christum adorant, ac sic demum Hierosolymam reuertuntur. Sic Apoc. 22. 17.

XXXIV/6

vt tandem vno verbò concludam, Et spititus & sponsa id est Ecclesia, dicunt, veni veni, & vers.20. Etiam veni Domine Iesu. Cæterum ne locum cauillandi relinquamus, Exempla tantum volumus valere, quæ ex fide verbi & agnitione potentiæ miraculorum Christi, denicq; cognitione voluntatis Dei & Christi constant. Addo etiam contestante hoc ipsum īn conscientijs nostris Spiritu sancto, à quo & fides & inuocatio legitimè diriguntur: Alioquin non quæuis exempla etiam in sanctis sunt amplexanda, siue Patriarchas obijcias, siue Prophetas siue Apostolos. Singuli enim habuerunt suos næuos, quandiu hic in terris degerent. Vt Isaias testatur, cap.53. Omnes nos sicut oues errauimus, vnusquisq; in viam suam. Item Iacobus, cap.2. In pluribus labimur omnes, Dauid adulter, Petrus simulationis notatur. At exempla quæ ex fide profluxerunt sicut de illis Christus testimonium perhibet, quorum etiam ingentem Catalogū recenset Apostolus ad Ebræos, de illis nullum relinquitur dubium, quin à Deo sint profecta: & quantum fidei nostræ Christianæ interest, merito pro regulis à quibuslibet pietatis studiosis habenda: maximè, si ad normam Christi, qui vnicum est nobis sanctitatis veræ exemplar, rediganturr, iusta trutina doctrinæ Christi adhibita. Proinde nos quoq; promissionibus Dei in lege & Prophetis palam extantibus fulti, tum etiam testimonijs noui testamenti, postquam à Deo Christus exhibitus est mundo, hunc honorem Christo non dubitamus vendicare, maxima cordis & conscientiæ nostræ consolatione & gaudio. Ne verò silentio inuoluamus quæ aduersarius tantopere vrget, tum de forma ipsa precandi Christum, tum etiam de ratione bonorum, pro quibus illi supplicandum esset, proinde sic statuimus. Quandoquidem Christo demandata sit potestas cœli & terræ omnis, idq; à Deo, merito illi supplicandum esse, cùm pro terrenis, tum pro cœlestibus beneficijs. Et quemadmodum absens corpore, Aeneam sanauit Paralyticum, Paulum prius cęcitate percussum, rursum squamis deductis pristinæ sanitati restituit: Centurionis seruum absentem sanat, vt non opus haberet domum illius ingredi, etiam renuente Centurione: Eandem potentiam in Iairi filiola sananda conspicuam facit. Idem Christus peccata remittit, fidem in Apostolis auget, in alijs etiam incredulitati succurrit: sensum mentis aperit, & dat intellectum scripturarum: dat os & sapientiam: in persequutione suos protegit, & ne de manu sua, ipsius ouiculæ eripi possent in æternum, prohibet: Patrem reuelat: notitia sui, seruos suos iustificat: ponit in Ministerium: gratiam confert: suis perpetuo adest, singulis diebus inquam vsq; ad consummationem seculi: Carnem suam dat ad manducandum, propriumq; sanguinem quem in remissionem peccatorum nostrorum moriens in cruce effudit, biben-

dum

dum fidelibus gratis propinat: Apostolos eligit, dat & emittit, quos etiam virtute ex alto instruit, dato effusoq; Spiritu sancto: Dat salutem corpori Ecclesiæ: Et vt in pauca redigam, dat credentibus sibi vitam æternam. Confirmantur hæc suis dulcissimis promissis. Quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, aut agros, causa nominis mei, centuplum accipiet (Marcus addit) in hoc seculo vel tempore cum persequutione, & in seculo venturo vitam æternam: aut vt Matthæus: vitam æternam hæreditate possidebit. Hinc iam cuilibet pio, licebit discere, quæ beneficia â Christo peti debeant, quæ etiam formam vltro elicient. His iam adde veluti Colophonem, quæ apud Danielem extant de regno Messiæ: cap. 7. 13. Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierum peruenit: Et in conspectu eius obtulerunt eum: Et dedit ei potestatem & honorem, & regnum: Et omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient. Potestas eius, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Quod autem Daniel de regno & potestate eius differit, quod nunquam auferetur, Idem Apostolus ad Ebræos de Sacerdotio eius concionatur, & dicit illum Sacerdotium habere aparabaton, quod nequaquam cursum suum interrumpet, rranfireq; in alium minimè poterit. Tanti etiam ponderis sunt sermones eius qui non ptæteribunt, etiam si cœlum & terra transibit. Matt. 24. 35. Hanc autem vim, etiamnum ipse filius Dei de cœlo mentibus suorum indere solet suis, sine quo alioquin nihil ipsi prę-stando simus. Ioan. 15. 5. Quod etiam pulcherrima similitudine cognoscendum in eodem versiculo proponit, inquiens. Ego sum vitis vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: nam sine me nihil poteritis facere. Item, Lucæ 21. 14. 15. Habete igitur fixum in cordibus vestris, ne præmeditemini vt vos defendatis, Apologethenai, quod fit dum per sermonem facti nostri rationem reddimus: Ego enim, ait Dominus, daturus sum vobis os & sapientiam, cui resistere non poterunt omnes, quicunq; se vobis opponent. Et Paulum iam in cœlis existens sic peculariter firmat: Acto. 26. 15. & deinceps. Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris. Sed exurge & sta in pedes tuos. Idcirco enim apparui tibi, vt designarem te ministrum ac testem, tum eorum quæ vidisti, tum eorum in quibus apparebo tibi: Eruens te ex hoc populo & gentibus ad quas nunc te mitto: vt aperias oculos eorum, & se conuertant à tenebris ad lucem, & à potestate Sathanæ ad Deum, vt remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem quæ est in me.

Mox verò de sua obedientia (qui prius hostis fuerat) ad eum modum testatur. Vnde, Rex

XXXV/t

Aggrippa, non fui rebellis cœlesti visioni: &c reliquà. Non debemus itaq; moueri aduersariorum insolentia, qui nobis hæc tam clara testimonia è manibus extorquere volunt, ne credamus Christum tangi cura suorum, vt aut illos defendat, & è gentium furore eripiat, aut credentibus præsto adsit. Imò verò ita statuamus, Christum præesse Ministerio, non quemadmodum Philosophiæ studiosi Autoritati Platonis aut Aristotelis se subijciunt, & in suorum præceptorum verba iurant, aut quod Iacobus in consessu Apostolorum de Mose testatur. Actor. 15. 21. Moses enim ab ætatibus antiquis, in singulis ciuitatibus, habet, inquit, qui ipsum prædicent, quum in Synagogis per singula Sabbata legatur. Eadem apud Paulum legere est. 2. Corint. 3. vbi multa de præstantia ministerij sui loquutus, sic tandem infert: Et non, sicut Moses imponebat velamen faciei suæ, ne intuerentur filij Israël in finem eius qui aboletur. Itaq; occalluerunt mentes illorum: Nam vsq; ad diem hodiernum, in lectione veteris Testamenti manet, subaudi illud ipsum velamen, nec vllo modo retegendum, quod per Christum tantum aboletur. Sed ad hunc vsq; diem, quum legitur Moses, velamen cordi illorum est impositum. Postquam autem conuersi fuerint ad Dominum, tolletur velamen. Nota autem est loquutio figurata, cum inuentor pro re inuenta sumitur, & liber pro ipso autore. At non sic didicimus Christum, vt illum mortuis conferre velimus, tantum abest vt viuentem inter cadauera mortuorum requiramus: Credimus enim illum à mortuis resurrexisse, & dextera Dei exaltatum regnare oportere, illumq; dare dona in hominibus: omniaq; portare potenti suo verbo. Illi ergo nos adiungimus per fidem Euangelij: Cum illo sepelimur in mortem per legitimam Baptismi administrationem, ita vt per veram regenerationem, resurrectionis suæ reddamur participes, vt iam à peccato manu missi, iustitiæ, imò verò Deo viuamus, qui nos in regnum filij sui transtulit, Satanæ ereptos. Hic deniq; est Christus Iesus, qui nos carne sua, quæ verè est cibus, dum pani, qui in cœna frangitur participamus, saciat, ac reficit, suiq; sancti cruoris potu, cum ex poculo noui Testamenti in commune bibimus, ita potat, vt ad vitam æternam obtinendam sufficienter instruat. Cæterum aduersarius premit altum corde dolorem, nec palam fateri audet, se minime credere, quod Christus solutis doloribus mortis, è sepulchro victor Sathanæ & membrorum eius extiterit, tantum abest vt firmiter credat, in cœlum palam subuectum, dextera Dei potitum, quæ profecto non quietem, sed robur & potentiam Dei in Scripturis sanctis significat, vt ex pluribus locis veteris & noui Fœderis aliàs Testamenti constat. At nos qui credimus Dominum nostrum, peccatorum nostrorum causa mortuum, resurrexisse à morte, non solum vt nos iustificet, verum etiam vt nos à patre constituto tempore, voce sua excitet, ac sic in regnum cœleste perducat, vbi nos ad integritatem refinxerit. Credimus etiam nostro nomine illuc abijsse, vt nobis in tam multis mansionibus patris sui, locum paret, certoq; statuimus, imo etiam sentimus, & in nobis ipsis experimur, ipsum omnino regnare ita in cœlis, vt eius nomine non solum non dubitemus ipsius nomine censeri, verumetiam parati per illius spiritum, quiduis eius causa perpeti: Ac proinde adhortationem Pauli libenter amplectimur, qui nos mortificatis mẽ-

bris

bris terrestribus iubet superna quærere: Et causam addit: vbi Christus est ad dexteram patris sedens: nequaquam id ausurſus, si nobis Christus nulli vsui esse posit. Addit etiam: Si resurrexistis cum Christo, hoc nimirum innuens, neminem posse hac mente affici, nisi qui resurrectionis Christi iam fuerit per veram ac non simulatam regenerationem particeps. Obijciet autem aduersarius adhuc. Si res ad eum modũ se habeat, necessario sequi, duos esse qui regnent, & summa rerum potiantur in cœlis, id quod Scripturæ sanctæ prohibent: Deinde tutius esse, vt recta ad antiquum dierum nos conuertamus, illiq; supplicemus, quàm vt ei nos committamus, qui nuper nouis honoribus à Deo auctus fuerit: Cuius etiamnum potentia & robur nondum sint conspicua. Huic quid responderi commodè posit, vt aduersarij os obturetur peroportunè se nobis offert, quod Christus ipse de suis hostibus & desertoribus testatum reliquit. Luc. 19.12. Vbi sub similitudine hominis in longinquam regionem proficiscentis, qui bona sua seruis committit, vt tantisper dum ille abest vt regnum accipiat, Ministri eius negocientur donec ipse veniat, nos de suo ad patrem discessu clarius edocet. Nam & seruorum suorum qualis esse debeat sedulitas, in lucro acquirendo: & quæ futuræ essent hostium machinationes, omnium præscius aperit, ac sic ait. Ciues autem eius oderant eum, miseruntq; legationem post eum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos. Sed quid tandem ciuibus eueniet? Postquam serui huius regis, negociationis suæ rationem reddiderint, hanc de hostibus sententiam profert: Quinetiam meos illos inimicos, qui me supra se regnare noluerant adducite huc & iugulate coram me. Hac tam eleganti hypotypoſi, quàm graphicè regimen suum Christus delineauit. Etenim quisq; luce clarius videt, quænam sit Regni Christi ratio, quamuis à nobis discesſit ad patrem, cœloq; contineatur. Non enim vt se tradat quieti, hinc abijt, degatue in otio, quod pleriq; stulte somniant: Sed vt accipiat regnum, ac postmodum redeat in negocia seruorum, & hostium machinationes inquisiturus. Interea tamen serui operi adhibent manum, negocia exequuntur, & iussa peragunt, certi, Dominum regno super ipsos potiri: quibus etiam, quam gratiam sit habiturus, exemplo declarat. At non solum certiores reddit, quid post suum discessum sit futurum, qui conatus perfidorum ciuium: Verumetiam, quæ sua sit conditio apud colonos vineæ, quam illis pater familias locauerat. Dicit enim ipsum fuisse spretum ab eis, qui sibi ius & imperium vendicabant in vineam: Et seruorum alios cecidisse, alios trucidarunt, alios lapidauerunt: Nec profuit quamuis & secundò illos miserit plures prioribus, Vt fructum annuum ab agricolis repetant: Deniq; filium vnicum mittit, hac fiducia adductus & persuasus, vtiq; reuerebuntur filium meum: at illi conspecto filio conclamant, En ipsum hæredem, accurrite, adhibeamus illi manus violentas, atq; penitus extinguamus, vt vineæ possessio nobis cedat. Veniunt itaq; patris familias filium captum extra vineam ducunt, illumq; supplicio afficiunt. At videamus quid tandem homicidis illis eueniet? Malos, inquiunt ipsi aduersarij, male perdet, & vineam suam alijs agricolis elocabit, qui temporibus suis fructum patrisfamilias reddant. Et quid profuerit renunciare imperio Christo, aut illius præsentiam non reuereri, imo etiam illi machinari

necem.

necem. Non enim aliter etiamnum à suis perfidis ciuibus respuitur, proditur, ac crucifigitur, veluti parabolæ istæ liquido demonstrant, quàm cùm à Iuda traditus esset, & à suis vt crucifigeretur postulatus, cum horrenda denunciatione, non habemus regem, nisi Cæsarem. Item, sanguis eius super nos, & super filios nostros. Cur enim tantopere regnum Domini nostri Iesu Christi impugnatur à tanta colluuie hominum, non tantum eorum qui illum contemptis verbis proscindunt, palamq; blasphemant: verum etiam subiecti alterius potestati, & excusso iugo doctrinæ suæ, & vero vsu sacramentorum eius, ac legitimo cultu, quiduis audent, imò etiam cum hominum inuentiones & placita sequuntur, non dubitant ipsum prætendere, ac si mandato eius hæc omnia faciant? Possemus autem multis exemplis ex Scripturis sanctis petitis rem adhuc planius explicare: Sicuti videmus Iosephum à Pharaone ita euectum ad regni administrationem & domus regiæ, vt ad illius oris imperium cunctus populus obediat, nec sibi quicquam reliquit præter regni solium: Gen.41.40. Idem Danieli à Nabuchodnozare etiam cum adoratione oblatum fuisse, vide Danielis cap.3.46. 47. Cæterum & in ipso Deo huius rei manifestißimum exemplum habemus, qui in Decalogo clare prædicat se populum suum eduxisse ex Aegypto, de domo seruorum: Et tamen in hac eductione perficiunda vsus est Mosis opera: vt Exodus & alij veteris testamenti libri manifestè testantur. Etiam Stephanus Acto.7. 37. Hunc Mosen quem abnegauerant dicentes: Quis te cõstituit Principem & iudicem? Hunc inquam Deus Principem & Redemptorem misit ductu Angeli, qui visus illi fuerat in nube. Et hoc est in quo Moses probrum tulit Christi: Heb.11.26. Illum enim hoc typo retulit. Quid dicam de legis donatione, in quo non solum opera Mosis vsus est tanquam mediatoris, sed etiam angelorum: Acto.7.38. Gal.7.19. Quid iam impediet ne Deus ipse habeat eminentiam supra filium, quamuis illi omnem in cœlo & in terra concesit. Sicut etiam non tollit dominium viri supra mulierem ne caput illius sit, quia sint per Dei coniunctionem vna caro. Aut quid obstat quominus Christus sit caput nostrum, imo etiam Angelorum, quia sumus caro de carne eius, & ossa ex ossibus eius, imo vnus cum illo spiritus, & tamen ille nos regit, & dat salutem corpori suo, id est Ecclesiæ. Ad eundem modum non tollitur eminentia Patris, & maioritas ipso Christo teste, quin pater & caput sit Christi & Deus, quia vnum sint, omniaq; quæcunq; pater habet, filij sint quoq;, & contra. Ac de nobis ipsis quid dicemus, cur opera nostra in promulganda doctrina Euangelij Deus ipse vtitur, cum tamen Deus legem nouam in cordibus suorum se scripturum sit pollicitus? Atqui tenendum est ita complacuisse patri, vt saluaret credentes: Matt.11.26. Ideoq; Christus ait sibi tradita esse à patre omnia: Item Paulus Coloss.1. 18. & deinceps. Ille est caput corporis Ecclesiæ, Principum, & primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse proteuon, id est, primas gerens: Et addit causam: Quoniam in eo placuit patri omnem plenitudinem inhabitare, & pace per sanguinem crucis eius facta, per eum reconciliare omnia sibi, per eum inquam, tum quæ in terra, tum quæ in cœlis. Id quod etiam prædicatũ est vniuersæ creaturæ, quæ sub cœlo est per Euangelium, cuius se Ministrum esse Paulus, id sibi maximè laudi ducit.

Habetis

Habetis fratres obseruandi doctrinæ nostræ declarationem, & fidei confessionem, qua non solum ad inuocandum filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum cogimur, sed etiam ardentissimo cordis affectu, ac spiritus exultatione vltro accedimus: certi, quod qui pro nobis mortem atrocissimam ex beneplacito patris sustinuit, ac victor à morte triumphabundus existens, se in cœlum contulit, ac dextra Dei coronatus, talem potestatem accepit, vt non solum suos fideles tueri, illisq; omnia tam spiritualia quàm corporalia largiri possit, quia verbo virtutis suæ omnia sustineat: Sed etiam in hostes suos animaduertat, antequam dies ille supplicij æterni adueniat. Quod ex multis Scripturæ locis constat, Psal 2.9. Apoc.2.22.23. Et alia prorsus infinita. Nunc ratio tractatuli postulat, vt scriptum Francisci, huic nostræ professioni per omnia contrarium excutiamus. Sed quorsum tantus labor impendendus est, cum se ipsemet cõuellat? Si enim Scripturæ sanctæ testimonijs non abuteretur, ac manifestè corrumperet, esset non iniusta ratio, adhibita censura quicquid analogiæ fidei non concederet, claris testimonijs verbi Dei illud conuellere. Verum quia Scripturas clarissimas magna licentia deprauando tantum effecit, vt nemo sanæ mentis (quicunq; sit Deum metuens, ac sciat qua pietate scripta prophetica sint tractanda, quæ non voluntate hominis allata sunt nobis, sed Spiritu sancto impulsi loquuti sint sancti Dei homines) fidem illi habere velit ac possit. Quid porro nobis relinquetur, quàm aliquot locis productis, quibus palam vim facit, reliqua candido & Christiano Lectori iudicanda commendemus? Primus locus est ex Actis Aostolorum cap.7.59. Domine Iesu suscipe spiritum meum. Hanc Scripturam mirabili commento deprauat, vt inuocationem Domini nostri Iesu Christi quoquomodo labefactet. Sic enim inuertit, non ad Iesum Christum dirigi hanc precationem, sed ad Deum patrem, quia sit Iesu Dominus. Quis enim non miretur tantam temeritatem, imò impudentiam? Addit etiam, quamuis vt sonant verba, & simul in eodem casu ponantur hæ duæ voces, Domine Iesu, vt hæc vox posterior non sit genitiui, sed vocatiui, vt etiam prior, Domine, Nihilominus ad patrem referendam esse, quia in Scripturis sanctis, Deus pater, dictus sit etiam Seruator, quod vox hæc Ebræa significat IESVS. Ac probationis vice adfert, quod nusquam in Scripturis sine aliquo attributo sit positum nomen IESV: semper verò addi solere, aliquod horum, nempè, vel Christus, vel filius Dauid, vel præceptor, aut aliquid eiusmodi: Difficile autem est dictu, an insciti am hominis docti deplorare debeamus, an verò maliciam arguere, cum in re tam manifista, addere licet tam sancta ita cauillari sibi permittit. Sed vide quo ferat æstus contentionis, quod sanè omnibus pijs metuendum est, ne dum nimis dant operam, vt sint contentiosi, Ecclesiæ Dei visum amitttant, & id esse cogantur, quod minimè putant, nempe extorres à cætu Christi. Quid enim vel hoc coloris habet, quod Domine Iesu, sit substantiuum nomen cum substantiuo genitiuo casu iunctum, ita enim necesse est repuerascere propter ambiciosam hominum intemperiem. Aut quis vnquam hunc modum loquendi in Scripturis sanctis obseruauit, quod Deus pater vspiam dictus sit Dominus Iesu: vel quæ possit esse ratio tam manifesti cauilli, Deum patrem dici Iesum, quia sit saluator:

XXXVII/6

uctor: Et quod vltimo loco ponit, quod nomen Iesu nusquam in Scripturis sine aliquo attributo ponatur: quid quæso est cornicum oculos figere, & in luce clarissima obducere tenebras, si hoc non est? Sed locus vnus totum hoc vanum esse conuincet: Apoc. 22. 20. Etiam veni Domine Iesu. Quin & ipsa circumstantia loci dextrè excussa rem planam faciet. De Iesu enim Nazareno certamen fuisse Stephano, cum Scholasticis Hierosolymitanis Lucas manifestè scribit, Actor. 6. 14. his verbis. Audiuimus enim eum quum diceret, Iesum istum Nazarenum destructurum hunc locum, & mutaturum ritus quos tradidit nobis Moses, vnde constat Stephanum accusatum esse, quod esset Christi præco, Christumq; prædicaret. At ille facta pulcherrima anagoge, à promissione facta Abrahæ, in quo seminarium populi sui electi constituit Deus: & Reipub. cuius ipse Rex esset, regimen describit sub quo detinerentur vsq; quo veniret semen, cui promissum fuerat. Ostenditq; non se impugnare Deum quod Christum prædicet, nam & Prophetas suos fuisse præcones probat, ipsiusq; causa fuisse trucidato: omnes, quicunq; aduentum illius prædicerent. Ac reiecto crimine in accusatores totumq; confessum: quia Spiritui sancto semper restitissent, vt patres illorum ita & ipsi: Et addit: quem enim Prophetarum non sunt persequuti, &c. Ac concludit illos esse, qui mensuram patrum suorum expleant, seq; Christi præconem dent neci, quemadmodum alios quoq; illius causa occiderint Prophetas. At Stephanus qua fiducia Christum prædicasset, deniq; declarat cum moriens, Spiritum Domino Iesu, vt animarum nostrarum curatori, tuto committit. Vt autem certum sit illius preces non fuisse irritas, discissio cœli, & gloriæ Dei conspectus ipsiusq; Iesu, hoc est filij hominis assistentia Dei dexteræ, quàm fortiter probant? Vnde obiter notandum ex Stephani defensione, ab ipsa promissione facta Abrahæ, semper fuisse, qui Christi aduentum prædicarent in Israel, neq; tamen receptos fuisse: Nunc quoq; mirum non esse, quod non recidit quod de salutationibus Pauli scribit, probari non posse, Ecclesijs precatum fuisse gratiam Christi: Sed gratiam Dei, patris Christi, id est à Deo qui sit Christi pater. Ludit autem in constructione vocum, vtroq; enim modo accipi potest, Charis himin apo theu patros hemon kai kiriu Iesu Christu. Quia enim Græci ablatiuo in vniuersum carent, sed genitiuo aut datiuo illius vsum explent, fit vt genitiui casus significatio, ambiguitatem pariat, cum modo pro eo vt est, in propria significatione sumatur, modo pro ablatiuo. At quid dicet de hac salutatione, qua (nulla facta mentione patris) sub calce literarum, sic à solo Christo gratiam precatur, he charis tu kiriu hemu Iesu Christu meta panton himon? Quod etiam signum esse vult suarum Epistolarum, ac subscriptionem propriæ manus. Atqui & hoc eludit, adducto testimonio Pauli, quum sic Corinthijs subscribit, 1. Cor. 16. he agapi mu meta panton himon en Christo Iesu. Quasi verò gratia sit idem quod dilectio: Deinde cum addit in Christo Iesu, omnem ambiguitatem tollit. Hunc enim loquendi modum alibi sic resoluit. Est veritas Christi in me quod hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Quamobrem? An quia vos non diligam? &c. Cæterum quomodo labefactabitur testimonium. 2. Ioan. 3. Sit vobiscum gratia,, misericordia, pax, à Deo patre, & à

Domino

Domino Iesu Christo filio patris in veritate & charitate. Hic habes para theu patros, kai para kiriu Iesu, &c. Vides quantum damnum adferat, si iudex non sit iustitiæ custos, sed calumniator? De potestate quam pater dedit filio in cœlo & in terra, quomodo tumultuatur tergiuersando, non est quod multis declaremus, aut illius strophas redarguamus, sunt enim adeò apertæ, vt non solùm lippi & tonsores primo intuitu illas deprehendant, verumetiam pueri in triuio ludentes. Præterea iam satis à nobis de hac re in principio demonstratum est, vt nunc argumentationibus non amplius sit locus. Cum enim distinguit inter potestatem & inuocationem, mirum est quod inuocationem absq; facultate præstandi quæ petuntur excludit. Cæterum nisi nos potentia Dei fulciret in nostris precibus, Ita etiam Christi Iesu, Deum immortalem quàm subito nostra vota euanescerent? Contra verò nos ideo inuocamus Deum, postmodum & Christum, quod sciamus Deum esse omnipotentem, qui cuncta quæ vult faciat in cœlo & in terra. Quam etiam potestatem Christo Iesu datam esse omnem, videmus. Eandem rationem habet quod de cura gerenda philosophatur: quis enim illum vel coactus inuocauerit, cui se & sua minimè curæ esse cognouerit? Sed piget singula ad vnguem resecare, quum se ipsa falsa esse prodant. Verum ex loco, quem Deuter. 31. habemus, liquido constabit, illum ita in contorquendis & euertendis Scripturis sine fronte & conscientia timoris Dei ludere, ac si in libris Luciani de ueris narrationibus uersaretur. Sed locum ipsum inspiciamus: Sic enim uetus interpres habet uers. 23. Præcepitq; Dominus Iosue filio Nun, & ait, Confortare & esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram quam pollicitus sum, & ego ero tecum. Aduersarius autem detorquet dictum, ego ero tecum. Quasi Moses semper affuturus esset Iehosuæ etiamsi moreretur. Inde inferre studet, Christum quoq; ita affuturum suis, quemadmodum Moses Iehosuæ adfuerit. In quo ambiguitate loci, & mutatione personarum turpiter abutitur, ut quod cupit, euincat. Quamuis autem eo loci sit diuersa lectio, & apud Hebræos, & in græca uersione, & in latina ueteris interpretis: Tamen in eodem uersu id quod præcedit arguit non Mosis esse promissionem, Ego ero tecum, sed Dei. Nam de terræ promissione illum adhortatur: Iam uerò an Moses pollicitus est daturum se Israelitis terram illam, in quam ne ipse quidem ingressus est, sed tantum emimus conspexit in superficie montis prælati à Domino cõstitutus? Ad hæc quæ præcedunt in eodem capite, quibus Moses adhortatus est populũ, rem explanant. Sic enim ait uers. 7. 8. uocauitq; Moses Iehosuam & dixit ei coram omni Israel: Confortare estoq; robustus: tu enim introduces populũ istũ in terram, quam daturũ se patribus eorum iurauit Dominus, & tu eam sorte diuides. Et Dominus qui ductor est uester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere nec paueas. Tria itaq; testimonium hoc in se continet. Primò quod Deus terram Canaan daturum se Israelitis pollicitus est: Secundo quod ipse futurus sit Dux eorũ, deniq; ita se perpetuo affuturũ, ut nõ necesse habeant à quoquam sibi metuere. Iam uerò quid hæc ad Mosen? Qui cum in summis angustijs esset positus, quod ab ipso populus carnes posceret: Sic Dominum alloquitur. Cur afflixisti seruum tuum? Quare non inuenio gra-

XXXVIII/6

tiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi vniuersam hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti Patribus eorum? vnde mihi carnes vt dem tantæ multitudini? Flent contra me dicentes, da nobis carnes vt comedamus. Non possum solus sustinere tantam multitudinem, quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Hinc iam colligere licet, num illa mens fuerit Mosis, suam Iehosuæ polliceri affuturam, vbi mortuus esset, præsentiam, qui conqueritur, tantam multitudinem sibi oneri fuisse, adeoq; molestam, vt sibi mortem potius eligeret, quàm vt ipsi præfectura posset esse cordi. Cæterum ipsum adhuc Iosuam audire libet, vt ex ipsius ore nobis constet, quemnam sibi præsentem fuisse, dum populum in terram Canaan induceret, testetur: deniq; in expulsione illarum gentium, & terræ illius per sortes diuisione. Iosue cap. 1. 1. ac deinceps: Et factum est post mortem Mosis serui Domini, vt loqueretur Dominus ad Iosue filium Nun, ministrum Mosis, & diceret ei. Moses seruus meus mortuus est: Surge & transi Iordanem istum, tu & omnis populus tecum in terram quam ego dabo filijs Israel: & vers. 5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ, sicut fui cum Mose, ita ero tecum, non dimittam te, neq; derelinquam te. En liquido apparet ex ipsiusmet oris testimonio, quis cum ipso Iosua fuerit, Deus ne an Moyses. Hæc satis fuerit, vel digito saltem indicasse, vt de alijs allegationibus & complicationibus Scripturæ, minimeq; veris explicationibus, iudicium Lector cordatus facere possit. Sunt enim pleraq; omnia, partim contorta, & à vero ac genuino sensu Scripturæ adeo aliena, vt potius contrarium quid ex illis eliciatur, quam verè significent: partim etiam ita blasphema, vt totus homo cohorrescat, quicunq; virtutis ac redemptionis Christi & ipsius gloriæ, vel tantillum particeps fuerit. Atq; vtinam neq; nos, neq; vos audire, legere, & cognoscere coacti fuissemus talia, profecto non parum nobis voluptatis attulisset, si quæstio hæc adeò contentiose & acriter pertractata, inuoluta fuisset in perpetuum altumq; silentium: certè melius consultum fuisset nostris & vestris Ecclesijs. Quomodo enim poterit negocium hoc intra domesticos parietes componi, quod in tam longinquas oras, non tantum rumore vulgi, sed scriptis etiam, à diuersarum professionum hominibus emanauit? Etenim præter scripta hæc, quæ nobis vnà cum adiunctis literis à vobis contigerunt, aliunde quoq; de progressu totius causæ accepimus, quæ ita per omnia consentiunt, quasi ex composito scripta fuissent. Precamur autem Deum illum patrem misericordiarum, & Deum omnis consolationis, qui cum sit autor pacis, & eos quoq; pro filijs agnoscat, qui sunt eirenopoioi, vt nos ab huiusmodi quæstionibus curiosis, quæ infinita plaustra, imo etiam plenas naues scandalorum secum trahunt, eripiat: Detq; nobis vobiscum pariter eam mentem, vt quæ ad pacem sunt Hierusalem, quæq; sunt ædificationis propria, curemus: Illa verò quæ fidelium mentes labefactant, & offendiculum struunt infirmis, deniq; etiam Ecclesijs Christi dissolutionem ac dissipationem minantur, pro misericordia sua procul amoueat, illudq;

ludq̃; concedat propitius, vt cultui suo in perpetuum destinati, sanctimoniæ vitæ maximè studeamus, innocentiam ardentissime vnà cum amore nostri mutuo expetamus, illudq̃; curemus, vt ijs, qui adhuc à veritate Euangelij sunt alieni, nostro exemplo inuitentur, vt illud merito de nobis dici possit, Ita luceat lux vestra, vt homines videntes opera vestra bona, glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis.

Quod reliquum est fratres in Domino dilecti, monitos vos, Primum velimus, ac per Dominum obsecramus, vt integras partes Ministerij Euangelij, modis omnibus in vsum revocare studeatis: ne quid à uobis merito desiderari possit, & hic & in die iudicij. Alterum est vt in hoc vestras omnes cogitationes conuertatis, caueatisq̃; omnino, ne vi gladij secularis, aut vestram fidei professionem tueri velitis, aut diuersa sentientium impugnare punireq̃;: Memores illius dicti Domini Iesu. Deniq; quod vultis vt faciant vobis homines, eadem quoq; facite illis. Qua in re vt Spiritus Christi, & non Mosis vobis adsit, vosq̃; regat, vnice precamur. Præterea si quid spei esse possit reliquum, D. Francisco libenter vellemus esse autores, vt cogitaret nemini vnquam benè cessisse, quicunq; se Christo opposuit, in qua re vel vnus ille Apostata Iulianus, tametsi fuerit Imperator, exemplo esse potest, vt Iudæorum cladem prætereamus, de qua nequaquam se erigere tanto tempore possunt. Item euersionem clarissimarum, & potentissimarum gentium, vrbiumq̃; munitissimarum, quibus etiam restat grauius iudicium in consummatione seculi, postremo à vobis omnibus petimus, vt laborem operamq̃; nostram, gratis animis amplectamini, quæ vtinam vobis, & omnibus veris Christi amatoribus, imo etiam cultoribus maximo vsui esse possit. Et si quid acrius vspiam dictum est, non incessendi libidini, sed potius dolori, qui nobis identidem redibat ex lectione istorum scriptorum, imputate: Deniq; vt viros candidos decet, in bonam partem sumatis, & interpretemini. Quod si hoc studium nostrum gratum vobis accidet, ita vt etiam nostra opera in posterum vti volueritis, in perpetuum nos vestra beneuolentia obstringetis. Orate pro nobis fratres, quod etiam nos pro vobis & facimus, & porro facturi sumus, vt cursum Euangelici Ministerij in vobis nomini suo, Pastorum Princeps Dominus noster Iesus Christus consecrare, stabilireq̃; in perpetuas æternitates dignetur. Amen. Datæ in Synodo communi Ministrorum & hospitum Ecclesiæ Belzicze. Die 24. Augusti, Anno redemptionis nostræ, 1579.

Vestri omnium obseruantiss.

Alexander Vítrelínus
omnium Ministrorum
nomine.

XXXIX/16

Iudicium Ecclesiarum Polonicarum.

LOCI ALIQVOT INSIGNES, EX SCRIPTVRIS sanctis pro uera & solida IESV CHRISTI *inuocatione* asserenda candidè deprompti.

QVamuis Poloni fratres, copiosè satis ac diligenter omnia, quę ad præsentem hanc controuersiam dirimendā spectabant, vt quidē fieri in tā breui potuit opere, complexi sunt & persecuti: Tamen cum non quiuis subitò legere longius illud responsum possit, nec rudioribus capiendi & assequendi omnia facultas concessa sit, placuit locos aliquot noui fœderis illustres, in quibus Iesu Christi inuocatio, eiusq; officia, postquam cœlos hinc abiens petijt, lucidissimè atq; breuissimè demonstrantur, per Excellentissimum D. Georgium Blandratam collectos, sententiæ Polonorum è limpidis Scripturis desumtæ in calce adijcere. Ac primum quidem Lector amice, illud tibi considerandum hic est, ex vnica ista de non inuocando Christo, vt loquuntur aduersarij, quæstione plurimas alias, tanquam ex equo quodam Troiano, sequi & nasci absurdissimas opiniones. Namq; omnes illi, qui à Christo nihil nos petere vel temporalium, vel spiritualium bonorum hoc tempore posse: ideoq; ne inuocandum quidem illum esse contendunt, manifestè, si propius, quod res ipsa est intuearis, præcipua Christianæ nostræ religionis fundamenta negant, euertunt atq; conuellunt. Primum euim Iesum Christum, posteaquam in cœlos assumtus est, nostrum mediatorem, Regem, Pontificem & aduocatum esse non posse, nec omnino vllum nobis cum eo commercium, donec veniat, futurum, apertissimè, si premantur & vrgeantur, fateri cogentur. Secundo, Negabunt Deum Patrem in Christo salutem Ecclesiæ fundasse. Tertio, tueri cogentur, homines absq; vlla cognitione Christi, & absq; efficacia mortis eius saluari posse. Quarto, Deum patrem per seipsum, aut per Spiritum sanctum, non autem per Christum filium inuocandum esse, ac proinde nos aditum habere posse ad patrem absq; mediatore Christo, eo quòd sedeat nunc Christus ad dexteram Dei, id est, otietur & quiescat. Quinto, Quod Christus Iesus omnem potestatem in cœlo & in terra ea conditione acceperit, vt illam nunc non exerceat: ideoq; exponendum esse præsens pro futuro, dum ait, Data est mihi omnis potestas, id est, dabitur. Et illud Ioan: Aduocatum habemus apud patrem, id est, habuimus tempore carnis Christi. Sexto, Eundem hunc Iesum sedere ad dexteram Dei, id est, otiari & quiescere, & nullo planè fungi officio, nullamq; potestatem exercere, aut exercere hoc tempore posse. Septimo, Quod ex præcedentibus necessariò sequitur, fateri velint nolint debebunt Iesum à Nazareth in cœlis existentem,

rem, nunc non esse Christum, eo quòd Christi duntaxat illi dicantur, qui Reges sunt, Pontifices, aut Iudices. Iesus verò omnibus officijs illis nunc careat, iuxta noua Franciſci dogmata: Quid multis? Summa coniurationis aduersariorum fuerat, vt Christo eiusq; Euangelio sepulto, ad Mosen, ad legem, & ad circumcisionem omnes redirent Christiani. Ad extremum ne illud quidem prætermittendum est, Franciscum expresse fateri, Iesum Christum tempore quidem carnis suæ inuocatum & adoratum fuisse, nunc verò si quis illum inuocet Deo patri ignominiam, & grauem omnino fieri iniuriam. Quòd quid sit expende quæso tecum, pie Lector. Quasi verò non idem fuerit firmissimum præceptum dum Christus viueret in terris, de vno Deo inuocando, & illi soli seruiendo. Oportebat hic aduersarios causam reddere, cur Christus in terris mortalis adhuc & abiectus existens, maiorem habuerit honorem & potentiam, quàm nunc exaltatus, & ad dexteram patris supra omnes cœlos, omnemq; principatum euectus. Sed iam locos ipsos clarissimos inspiciamus.

EX EVANGELISTIS.

I. Primus locus est Matt. xviij. xx. cum Christus ipse sic loquitur, Vbi enim fuerint duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum.

II. Secundus est Matth. vltimo, vers. xx. cum ait. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.

III. Marci vltimo, vers. vltimo. Illi verò egressi prædicauerunt vbiq;. Domino vnà operante, & sermonem confirmante per signa subsequentia.

IIII. Lucæ xxi. xv. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neq; resistere omnes qui se opponent vobis. Hîc obserua Lector amice, Si Christus post ascensum in cœlos nec regnat, nec quicquam agit, quorsum attinebat dicere, Ero vobiscum, sum in medio eorum, & dabo vobis os & sapientiam? Interpretentur igitur aduersarij locos istos, inuoluantq; seipsos in ministerio doctrinæ, vt videamus & intelligamus quam solidis vtantur coniecturis.

EX ACTIS APOSTOLORVM.

V. Quintus locus est de missione Spiritus sancti super Apostolos, quemadmodum ipse Christus, dum adhuc viueret prædixerat. Vado, inquit, paraturus vobis locum, & rursum veniam. Et non relinquam vos orphanos, redibo ad vos. Et capite xv. xxvi Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritus ille veritatis, &c. Expende lector optime, an hãc Spiritus S. missionẽ ad doctrinæ ministeriũ aduersarij cõmode referre possint. Deinde

iudicent

XL/6

iudicent æqui homines, an Christus postquam ascendit otiatus sit, & quieuerit penitus. Tertiò cogitent cur promittit se ad nos rediturum, seq; facturum, si quid petierimus patrem nomine suo. Demum animaduertant, an Spiritus ille sanctus, quem misit de cœlis Christus, fuerit doctrina, an verò miraculorum patrandorum, prophetiæ & linguarum peculiare donum, & an hæc dona sub doctrinæ, misterio contineri possint. Cum à Paulo i. Cor. xiiij. manifestè destinguantur.

VI. Sextus locus est Act, iij. iiij. & alibi sæpius, cum Apostoli dicunt, In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Et sanat te Iesus Aenea. Item, Per fiduciam Christi hic sanus factus est. Et, Fides, quæ per eum est, dedit ei integritatem. Vide quæso, si quid egerit Christus per Apostolos, postquam ascendit in cœlum.

VII. Actor. vij. Vbi Stephanus videt cœlos apertos, & Christum sedentem à dextris Dei quem inuocat dicens, Domine Iesu suscipe spiritum meum. Vt cunq; hîc se torqueant aduersarij, nunquam euincent Stephanum patrem sub nomine Iesu, aut sub nomine Domini, quemadmodum magna contentione homines perridiculi facere conantur inuocasse.

VIII. Actor. xviij. ix. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo, ne time sed loquere: Nam ego tecum sum, & nemo te inuadet.

IX. Actor. xix. xiij. Tentarunt verò quidam ex circulatoribus Iudæis exorcistis inuocare nomen Domini Iesu super eos qui habebant spiritus malos, dicentes, Adiuramus vos per Iesum, quem Paulus prædicat. Perpende quæso an inuocatio hîc pro professione capi possit, & si impij Iesum tanta in re inuocabant, cur pij hoc facere non poterunt.

X. Actor. xxij. vij. viij. x. Vbi Christus apparet Paulo, & cum eo loquitur dicens, Ego sum Iesus ille Nazarenus quem tu persequeris. Et, Dominus autem dixit mihi, surge ac proficiscere Damascum. Et vers. xvi. Nunc igitur, quid cũctaris? exurge & baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine Domini. Et paulo post Paulus ait, Factum est autem cum essem reuersus in Ierusalem, & orarem in templo vt raperer extra me, Et viderem eum dicentem mihi, Festina & exi citò ex Ierusalem, quoniam non accipient testimonium tuum de me. Et vers. xxij. inquit, Proficiscere, nam ego ad gentes procul mitram te. Item cap. xxiij. xi. Sequenti verò nocte astans ei Dominus ait confide Paule. Idem vide cap. xxvi, xiiij. xv. xvi. Item i. Cor. ix. i. Vbi Paulus se vidisse Dominum Iesum affirmat. Idem facit cap. xi. xxiij. Et apertius cap. xv. viij. Et Gal. i. xij. Iam verò, si vbiq; in hisce locis disertè Iesus Christus nominatur, mirari non possumus

satis,

satis, qua fronte isti ad apparitionem Angelorum trahant, quamquam & istud ipsorum effugium contra ipsorum sententiam manifestè facit. Nam si Christus per Angelos illa fecit, oportuit certè & illum aliquid feciſſe, qui misit illos,

EX EPISTOLIS.

Ad Rom. cap. viij. ix. xxxiiij. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius, porro si Christus in nobis est, &c. Item, Qui est ad dexteram Dei, & etiam interpellat, (vel postulat) pro nobis. Nota dictum fuisse, qui est ad dexteram Dei, non qui sedet.

Cap. x. xiij. Quisquis enim inuocauerit nomen Domini, seruabitur, Quem locum Paulus transfert ad Christum ex Ioel. i. Addit. Quomodo igitur inuocabunt eum, in quem non crediderunt? De Christo hoc intelligendum: Nec refert quòd Propheta de Deo patre locutus sit, cum Paulus sæpissimè, quæ de patre in veteri testamento dicuntur, ad filium Spiritu sancto afflatus transferat & applicet.

Cap. xiiij. viij. Nam siue viuimus Domino viuimus: siue morimur Domino morimur, &c. Et vers. x. xi. Omnes enim sistemur apud tribunal Christi. Scriptum est enim, Viuo ego dicit Dominus: Quoniam mihi sese flectet omne genu: De Christo loquens Apostolus, Vti facit Philip. ij. x. ex Es. cap xlv. Nota insuper verba Es. cap. xi. x. Vbi de futuro Messia loquens manifeste dicit, in ipso verò gentes sperabunt. Quis autem in eum sperare poterit, quem inuocare non licebit?

I. Ad Cor. cap. i. iij. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. Obserua hanc Græci sermonis amphiboliam, quam aduersarij pueriliter prætexunt, ab ipso Paulo & alijs Apostolis apertè retundi tollique. Quæ de re vide Gal. i. iij. ij. Timot. i. ij. Tit. i. iiij. Vide clarius ij. Ioan. vers. iij. Et cap. vltimo ad Ephes. vers. xxiij. Apoc. i. v. Vbi nullum locum habere potest detorsio, omnisque tollitur ambiguitas: Cap. v. ix. Vobis & meo spiritu in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis, cum potestate Domini nostri Iesu Christi tradatur eiusmodi satanæ ad interitum carnis. Perpende an Christus tempore Pauli nullam habuerit potestatem, num in cœlis in otio fuerit, & an Pauli sermo species quædam inuocationis non extiterit.

Cap. xi. xxvi. Quotiescunque enim ederitis Panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiabitis donec venerit. Expende in quem vsum memoriam facere debeamus vsque ad finem seculi, illius, qui nihil agit, & nihil potest,

XLI/6

Cap: xv. xxv. Nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Quis hîc negabit oportere Christum ex parte regnare, donec impleatur electorum numerus?

Cap. xvi. xxiij. Gratia Domini Iesu Christi sit vobiscum. Cogitet Lector cur Paulus non Dei patris, sed Iesu Christi gratiam precetur, & an non possimus nos quoq; cum Paulo gratiam à Christo petere.

II. Ad Cor: cap: ij. xiiij. Deo autem gratia, qui semper facit, vt nos triumphemus in Christo:

Cap: v. x. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos: oramus Christi nomine reconciliemini Deo, &c.

Cap: x. i. Precor vos per clementiam & æquitatem Christi. Obserua quid opus fuerat Paulo tam sæpe Christum interpellare.

Cap: xij. viij. ix. Super hoc ter Dominum rogaui, vt abscederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: Nam potentia mea per infirmitatem perficitur. Libentissimè igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, vt inhabitet in me potentia Christi. Expende quæso an non Pauli oratio ad Christum Dominum dirigatur,

Cap: xiij. x. Propterea hæc absens scribo, ne seueritate vtar ex potestate, quam dedit mihi Dominus ad ædificationem. Nota hîc Paulum non de doctrina, sed de potestate excommunicandi locutum esse, quam acceperat à Christo.

Ad Galat: cap: i. i. Paulus Apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, ac Deum patrem Ecclesijs Galatiæ, Gratia vobis & pax, à Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo. Et vers. xij. Neq; enim ego ab homine accepi, aut didici Euangelion, sed per reuelationem Iesu Christi: Cogita, an Christus fuerit otiosus, qui per Spiritum suum sanctum, non autem per homines Euangelium Paulo reuelauit. Nota & in hac salutatione Pauli tolli omnem amphiboliam quam quærunt aduersarij.

Cap: iiij. vi. Emisit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem: Abba pater. En habes Spiritum Christi in Ecclesia operantem.

Cap: vltimo, vers. vltimo, Gratia Domini Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres, Amen. Vide quæso quid hoc & an gratiam & pacem ad doctrinam transferre aduersarij rectè possint,

Ad Eph: cap: i. xij. Nos qui priores sperauimus in Christo, in quo sperate & vos. Consideres an in eum sperare oporteat, qui nihil nobis auxilij præstare potest.

Cap: ij. xiij. Idem confirmat dicens: Ipse enim est pax nostra. Quod si ita erit, cur pacem ab eo petere non licebit, qui pax nostra esse dicitur?

Et vers: xvij. Quoniam inquit per Christum vtrique aditum habemus, in vno Spiritu ad patrem. Quod confirmat, & cap: iij. xij. dicens: Per quem habemus audaciam & aditum ad patrem cum fiducia, Iuxta illud quoq; Ioan: Nemo venit ad patrem nisi per me, Et sine me nihil potestis facere. Et ego sum ostium, vitis & via ad patrem. Hæc cum manifestè ad Christi personam pertineant. Videant illi quid agant qui ad doctrinam eiusmodi phrases transferunt dicentes: Ego id est doctrina mea, & per Christum habemus accessum ad patrem, id est, per doctrinam Christi.

Cap: v. xxiij. Christus est caput Ecclesiæ & is est, qui salutem dat corpori. Quid opus quæso fuerat Paulo, hæc dicere de Christo, si postquam ascendit ociatur, & nullam Ecclesiæ suæ curam habet. Addit vers: xxix. Nullus enim vnquam suam ipsius carnem odio habuit: imo enutrit ac fouet eam, sicut & Dominus Ecclesiam. Et quomodo poterit fouere, si non regnat & nihil agit?

Ad Phil: cap: i. xix. Hoc enim cedit mihi in salutem per vestras preces, & per subministrationem Spiritus Christi. Et vers: xxij. Cupio dissolui, & esse cum Christo: cur quæso cupit esse cum Christo, qui nihil potest in terris, sed stertit?

Cap: ij. ix. x. In nomine Iesu omne genu se flectat, Et omnis lingua confiteatur, Iesum Christum esse Dominum. Expende si vni Deo omnis gloria, & honor debetur, Cur Christo genua erunt flectenda, in contumeliam patris, cui soli seruiendum, & omnis honor laus, & gloria debetur? Et vers: xix. Spero autem in Domino Iesu, me breui missurum Timoth. Quis vero in eum sperat, à quo nullum expectat subsidium? Et vers: vlt: cap: iiij. Gratia inquit Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis.

Ad Coloss: cap: i. xvi. xvij. Omnia per eum consistunt, & per eum condita sunt omnia, & ipse est caput Ecclesiæ. Expende si eum inuocare non poterit Ecclesia, per quem omnia consistunt, & quale caput erit illud, quod sua membra iuuare nõ poterit? Sed hic aduersarij Ecclesiã volunt esse Acephalã. Et ver: xix. Cõplacuit patri, vt omnis plenitudo habitaret in Christo. In quẽ vsum quæso oportuit impleri Christum Spiritu S. absq; mensura, nisi vt de eius plenitudine nos acciperemus? Sed addit Paulus vers: xxix. dicens: Decerto secundum efficacitatem Christi, agentẽ in me potenter, Quod si dictum Pauli, ad doctrinam aduersarij referre volent, respondeant, an nõ Euangelij doctrina cõtinua Christi efficacitate indigeat. Et an non inanis doctrina futura sit, quæ non à Spiritu Christi incessanter viuificabitur.

XLII/6

Cap.iij. xi.xij. xxix. Christus est omnia in omnibus,Et omnia fiant in nomine Domini nostri Iesu Christi,gratias agentes patri per ipsum. Deinde addit Apost: Domino Iesu Christo seruitis. Quid autem hæc sibi velint, cogitabit Lector.

I. ad Thess. cap. iij. xi.Ipse vero DEVS, & pater noster,& Dominus noster Iesus Christus, dirigat viam nostram ad vos. Hic dicant aduersarij,an hæc Pauli sit obscura inuocatio. Et cur voluerit Deo patri Christum filium adiungere, cum solus DEVS pater sit inuocandus. Sed audi adhuc clarius Paulum inuocantem cum ait, cap.ij.xvi.Epist.ij. Ipse verò Dominus noster Iesus Christus,& DEVS, ac pater noster,consoletur corda vestra,& stabiliat vos,in omni opere bono,& sermone. Quid quæso clarius?

Cap. iij. vers. vltimo, Epistolæ ij. Postquam precatus est Paulus Ecclesijs gratiam Domini nostri Iesu Christi, mox dicit hanc salutationis formam singulare suarum Epistolarum signum esse.

Ad Timoth: cap.i. i. Domini nostri Iesu Christi spei nostræ. Perpende,An non poterit inuocari is,qui est & dicitur spes nostra, vers.xij.xiij,xiiij. Gratiam habeo ei,qui me robustum fecit Domino Iesu Christo,qui mei misertus est, meq; posuit in ministerio,vt in me primo omnem clementiam ostenderet. Ecce quàm fuerit ociosus Christus post suum in cœlos ascensum. Quod si tempore Pauli miserebatur Christus suorum fidelium, cur nunc id facere non poterit?

Cap:i. ij. Obserua hic quoq; tolli omnem ambiguitarem, cum dicit gratia vobis,& pax à DEO patre,non addens nostro,& à Domino nostro Iesu Christo,vti supra ex alijs plurimis etiam locis probatum fuit.

Cap: ij.xix. xxij. Sectare iusticiam inquit, & pacem cum ijs qui inuocant Dominum ex puro corde, & discedat ab iniquitate omnis, qui inuocàt nomen Christi.In primo loco Beza cum alijs aliquot eruditis,inuocare, pro colere interpretatur. Vtcunq; aduersarij,pro nominare,& profiteri,declarare,Inuocationis nomen illic accipiendum putent.

Cap: iiij. i. Quod prius fecerat. i. Tim.v. xxi. Obtestor vos inquit coram DEO, & Domino Iesu Christo. Quid quæso oportuit,coram Christo aliquid testari, si preces nostras non audit, & ociatur in cœlis? vers.xvij. Dominus mihi adfuit,& corroborauit me,& eripuit me ab omni opere malo. Expende an non hoc sit,aliquid facere,& curam suorum habere. Et vers. vltimo. Dominus Iesus Christus sit cum spiritu tuo. Et gratia Christi sit vobiscum. Hinc collige, an possimus inuocare Christum, vt esse velit cum spiritu nostro, & gratiam ab eo cum Paulo precari,

Ad Tit: i. iiij. Omnem quoq; tollit amphiboliam, dum absq; nostro patrem nominat, & Christum nominandi casu ponit. Cap: iij. DEVS, qui seruauit nos per renouationem Spiritus sancti, quem effudit in nos copiose per Iesum Christum saluatorem nostrum. Obserua à DEO patre, per Christum dari nobis Spiritum sanctum, & proinde Christum aliquid facere.

Ad Heb: cap. i. iij. Portansq; omnia verbo virtutis ipsius, id est patris, & per quem etiam mundum condidit. Vide quæso an non Ecclesiæ membra, & saluandi quotidie nascantur, & proinde à Christo continue regenerandi sint, quoadusq; electorum numerus implebitur. Et vers. vi. Vt adorent eum omnes Angeli Dei. Hîc consideres eo vsq; exaltatum fuisse Christum, vt Angeli eum adorare debeant. Vnde illud vt honorent filium sicut honorant patrem. Et qui non honorat filium, non honorat patrem. Et illud quoq; Pauli, Gloria & honore cernimus Iesum coronatum à Deo.

Cap. ij. xvij. xviij. Vnde debuit fratribus per omnia similis esse, vt misericors esset, & fidelis pontifex in ijs, quæ apud Deum agenda forent, nam ex eo inquit, quod perpessus fuit & tentatus, potest & ijs, qui tentantur auxiliari. Cogitent aduersarij, an fideles nunc quoq; tentantur, & tentati Christi auxilio indigeant.

Cap: iij. i. Considerate fratres Apostolum, & Pontificem Christum Iesum, Et cap: iiij. xiij. Habentes ergo Pontificem magnum filium Dei, non talem qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed qui per omnia tentatus sit absq; peccato. Accedamus cum fiducia ad Thronum gratiæ eius.

Et cap: vij. xxiiij. xv. At Iesus Christus, propterea quod in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium, vnde & saluare in perpetuũ potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper viuens, vt interpellet pro eis. Quid clarius dici queat ad probandum Sacerdotij Christi perpetuitatem Ecclesiæ perpetuæ gubernationem & intercessionem non video.

Cap: viij. i. Talem habemus Pontificem, qui consedit ad dexteram Throni maiestatis cœlestis sanctuarij minister, &c. Et vers. vi. At nunc noster ille Pontifex, eo excellentius Ministerium quam Moyses sortitus est, quò præstantioris est fœderis intercessor. Nota cum dicit, nunc, & præsentis temporis est. Accedit vers. xv. Itaq; ob id noui fœderis mediator est, non id autem, fuit tantum tempore carnis suæ. Et vers. xiij. Ingressus est Christus ipsum cœlum, vt appareat nunc in conspectu Dei, pro nobis. Nota quod dicit, nunc, non tunc. Et expende, an incassum appareat pro nobis coram Deo.

Cap: x. xxi. xxij. Confirmando quod supra dixerat cap: iij. xiij. inquit.

XLIII/4

Cumq; habeamus sacerdotem magnum, præfectum domui Dei, accedamus cum vero corde, & certitudine fidei. Idem apertius confirmat, cap: xñ. xxiiij. dicens: Accedite ad noui testamenti mediatorem Iesum. Vide an accedendum sit ad eum, quem non possumus inuocare, Et cur Apostolus totiens nos hortetur, vt accedamus ad mediatorem Iesum.

Cap: xiiij. xiij. xvñ. Exeamus igitur ad eum, extra castra, & per ipsum assidue offeramus Deo sacrificium laudis, id est fructum labiorum confitentium nomini eius. Cur quæso offeram Deo per Christum sacrificium laudis, Si non est mediator noster?

I. Pet: cap: i. xiiij. Breui deponam inquit tabernaculum hoc meum, sicut Dominus noster Iesus Christus reuelauit. Cogites an Christus ociatus sit in cœlis postquam ascendit, cum apparuerit vel per se ipsum, vel per suos ministros, Angelos, Apostolis, multaq; illis reuelauerit.

I. Ioan: cap: ij. i. Ne peccetis fratres, quod si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum nostrum. Nota quod dicit habemus præsenti tempore.

II. Ioan: cap: i. iij. Sit vobiscum inquit gratia, & pax à Deo patre, & à Domino nostro Iesu Christo. Locus hic apertissimus est, & tollit omnem ambiguitatem, cum non addatur nostro, & apposita sit à præpositio.

Apoc: cap: iij. i. xx. Ecce sto ad ostium & pulso, Si quis aperuerit ingrediar. Quomodo verò ingredietur, si nihil agit, & neminem audit?

Cap: iiij. xiij. Audiui omnem creaturam dicentem sedenti in Throno & agno, benedictio, honor & gloria & potestas in secula seculorum, Amen. Cogites an non ille cui datur tanta potestas possit inuocari.

Et cap: vltimo, vers. xvi. Ego Iesus misi Angelum meum vt hæc Ecclesijs testificaretur. Procul dubio non quiescebat aut stertebat Christus tempore Ioannis, dum mitteret Angelos suos. In fine vero claudit dicens:

Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum.

Amen.

CON-

CONFVTATIO VERA ET SOLIDA IVDICII ECCLESIARVM POLONICARVM, DE CAVSA D. FRANCISCI DAVIDIS, IN quæstione de vera hominis IESV CHRISTI, filij DEI viuentis inuocatione, Authore Clarißimo Philosopho & Theologo, Doctore AKIFA Verbiuetano.

Omnibus fratribus & Reuerendis ministris per vniuersam Poloniam, Ecclesiæ IESV CHRISTI vnum Deum, qui est solus pater profitentis, S. P. & felicitatem precatur.

NIHIL ACERBIVS MIHI IN HAC VITA TESTE ANIMO meo, contingere potest, quam cum contra eos, scribere cogor, quos semel perfecto amore dilexerim, quiq; officiorum non vulgarium, vicißitudo vt mihi carißimi essent, effecit, sed cum amicitiæ humanæ constitutas esse metas, intelligam, sacras aras, vltra quas progredi non est amoris sed nequitiæ, videor mihi intelligere posse cum peruenitur ad Aras dissolui omnia vincula societatis humanæ, etiam illa quibus homo homini est Deus, & illa quæ diuina sunt vincula arctius constringere hominem. Nam institutorem habemus Christum, qui quos natura nobis & Lex, patrem, matrem, fratres, sorores, vxores, liberos, magnis additis præmijs, si obseruarentur, & comminationibus, si desererentur, commendauit, si veniretur ad illas angustias in quibus alterum fieri necesse esset, aut abnegare aut fateri veritatem, quæ est inter vincula diuina, vnum, repellendos à nobis illos potius, quam longißimè esse iußit, quam veritas, quam nossemus, aut abneganda, aut silentio contegenda, Vbi enim à vinculis diuinis sunt vel disrupta vel dissoluta humana vincula, ibi Deo soli parendū est, homines etiam reluctante pristini amoris memoria, auersandi, & vbi lectulus angustus est & duo in eo componi non possunt, Deo soli locus dandus est homo prætereundus. Et hoc me hoc tempore solatur vel maxime quod omnibus planè qui ad has aliquando angustias coniecti sunt solatio fuit, cum stringere stylum cogor in eos, quos semel amaui, & inter quos in veritatis cultura, numerari laudi mihi semper duxi & honori, quod cum Deo, cui primus locus in honesta amicitia dandus semper est, stare non posse videor, si hominum quantumuis amantium mei, qui tamen in amicitia inferiorem Deo locum obtinent, in veritatis disquisitione rationem habere volo. Omnibus enim illi laudati ab omnibus posteritatibus viri, hominibus nuncium miserunt, & Deo soli adhærere cupierunt, cum eò peruentum esset, vt Deo & hominibus placere non possent, Quæsi-

tum

XLIV/t

tum fuit in Transyluania, an Iesu Christo qui crederetur, verus Deus non esse sicut Deus pater, sed verus Deus esset, sicut hi dicerentur veri esse Dei, ad quos sermo Dei factus esset, quique à semetipsis non venissent, sed à vero Deo, patre æterno missi fuissent, diuini aliqui honores, viuenti nunc in cœlis cum omnibus sanctis & hominibus & spiritibus attribui deberent an non, Diuinus autem honor erat, inuocatio in precibus, inuisi numinis. Quæstio hæc in Transyluania tractari cæpta est, anno superiore & perdidit illius regni sumpremum, in hoc argumento de vna persona & natura veri Dei, pastorem qui eam partem defendebat, quæ semper mihi visa est esse vera, pars victrix propter vires additas eorum qui Machæran, id est, gladium gestabant, irrequieta animo, vt fit cum conscientia arguit indesinenter, malè esse factum, tegumentum aliquod quæsiuit, vt Adamus ficus folia, sub quo immissa ab inuidia videretur protecta, & non amplius integra re, voluntatem Ecclesiæ Polonicæ quærere per literas cœpit, non vt solueretur D. Franciscus, sed vt iustè damnatus, vel aduentitio extra tempus suffragio idem sentientis Ecclesiæ, videretur. Ecclesia Polonica respondit de doctrina literis publicis, de damnatione etiam D. Franciſci extant literæ priuatæ multorum testantium non mitius potuisse saluis legibus tractari D. Franciscum, quam fuerit à Transyluanis tractatus, non potuisse scilicet non trudi D. Franciscum in vincula, donec aliquid aliud princeps de ipso statuerit, in quibus tandem fata mutauit, Anno eodem mense Nouembri. Ignarus ego eram harum omnium contentionum & dissensionum, literas tantum acceperam à priuatis quibusdem, quibus pericula imminentia D. Francisco, mihi nunciabantur & causa narrabatur, quod Iesu Christo nullos vellet diuinos attribuere honores, eaq; de re nollet quiescere silendo, sed concionnes haberet publicas, orando. Venerant & 7. Theses, nomine D. Franciſci, ad hic propinquos huius regni Episcopos, quæ tamen conflictæ fuerant, vt inuidia conflaretur D. Franciſci memoriæ, ab hostibus in Transyluania D. Franciſci. Et videbatur hoc vnum pars victrix quærere, vt declinaretur ea, quæ cernebatur iam iam, oculis exurgere, à cineribus D. Franciſci, inuidia, & commune omnium gentium odium. Nullus enim est sanæ mentis homo, qui iudicet diuinis eum esse prosequendum honoribus, qui non sit verus Deus, Et planè conuersio quædam esse facta videtur, in reprobum sensum eorum hominum, qui contradicentia reipsa affirmant, etiamsi nomina declinent. Tandem missa venerunt ad me omnia acta à longe nobis dissito oceano, vt quid de tota re sentirem explicarem, consultissimum fuisset si literas hinc inde missas recepissem, sed hoc non contigit. Cum igitur deductus sim ad Aras, vocem Dei exaudire necesse est, detersa memoria ab omni affectionum humanarum, quæ sunt in amore & odio sitæ, recordatione, neq; indignè ferre debent homines, quod vident Deum à me ex seruitutis meæ fide postulare. Membrum sum omnium rectè sentientium Ecclesiarum de vno Deo, quorum numerus auctus est, & indies augetur magis, hoc fateor, inter has Ecclesias, Polonicam & Transyluanicam numero & Vngaricam & præterea illas quas deterret metus Iudæorum ne exerant caput, sed num hanc ob causam, næui si qui incidunt in Ecclesijs quarum me esse membrum

brum profiteor ferendi sunt? non imitandus Paulus qui in ea causa acriter, reprehendit Petrum, in qua vel exemplo malo, quod violabat doctrinam sanam, videbatur labefactare Ecclesiæ sanas persuasiones? Non dicam iniquissimè factum ab Ecclesia Polonica, in qua præsedisse narratur Gregorius Pauli, qui cum credat nullum Christianum gerere posse Magistratum ciuilem aut criminalem, & gerere arma vel ad ipsam patriæ communem tutelam esse peccatum, sederit tamen in iudicio quod recta ferebatur ad causam sanguinis? Quid Christiani iuris hic prætexi potest, vbi nihil Christiani agi poterat à Iudicibus quod non esset ex eorum numero, de quo certo persuasi erant Iudices, non esse Christianum, & de eo Christiane agi non posse? Non dicam magnam temeritatem admissam, & paricidiali proximam, quod cum de tanta re, sanguinis scilicet ab Ecclesia ferenda esset sententia, de qua quid diceret aut loqueretur maxima pars Synodi, vt declarant acta Synodalia, erat omnino, ignara, rudis, integra impolitaq; moles, ad nullas tamen Academias sit scriptum, vt quid facto opus esset etiam ex alienorum sententia sciri posset? Discere enim potest quiuis qualis confessus iste fuerit qui peperit hæc, de quibus agam scripta, cum aut legit ista aut intelligit in horum partu præsedisse Gregorium Pauli, qui vt sit in omni re Aristarchus, certè ad legendum & intelligendum serio scripta, à natura videtur incompositus. Fuisse quidem aliquot doctos viros, in ea Synodo quorum doctrina mihi probatur non possum negare, cum animaduertam vestigia in his dictatis, sed vt sit in flumine se ferente rapidissimo impetu, ita in ferendis sententijs magna pars superat minorem, vt quæ sentit minor ne audeat quidem effari. Et quid rogo Ecclesiam Polonicam nomino, quæ quid sit, quot, quales in se habeat viros, nullus scit nisi qui præsens adest? Cur non recitantur hi qui & dicuntur esse Ecclesia Polonica, & sententias tulerunt, mox coniungendas paricidio? Nam si cognoscitur vera docuisse D. Franciscus, quis negabit paricidium admissum in cæde ipsius? Et si paricidium fuisse admissum constiterit, in cæde D. Francisci, quæ ora hominum absoluent suffragia Polonica, negantia geri posse arma iusta & geri magistratum, crimen esse aientia, à paricidio? Nunc venio ad Transyluanos quorum scripta, neminem nomine habent adscriptum, sed Ecclesiam prætendunt, cum ista Ecclesia Trànsyluanica sint, vnus, qui quatuor traxit secum, & per vnum quendam irritauit crabrones, vt vnus absumeretur D. Franciscus, quiq; liberam gloriabatur redditam esse in Transyluania prophetiam, sed ita liberam vt gladio absumeretur is qui contra ipsum aliquid dicere auderet, sed peruenimus ad aras vbi ex his quæ scimus loquendum est, & non ex his, quæ esse sicut in panegyricis fit, desideremus, Ordo historiæ ita narratur in his literis quæ præfixæ sunt Actis à D. Georgio Blandrata, & Fausto Sozino nomine Ecclesiæ, Et rogo vos fratres Poloniæ, vt singula attente audiatis. Anno Domini 1579. die 26. Augusti, scriptæ sunt literæ, Reuerendissimis Dominis, Gregorio Pauli, Georgio Schuchmanno, Martino, Zechouio, & Alex: Vitrelino, & cæteris ministris Ecclesiæ Polonicæ Iesu Christi crucifixi à M. D. Georgio Blandrata, & D. Fausto Socino nomine Ecclesiæ Transyluanicæ eiusdem Confessionis. Narrant autem anno superiore,

riore, hoc est, 1578. R. D. Franciscum Dauidis Conciones habere cœpisse, quod Deus non esset Iesus Christus vocandus, nec colendus vt Deus nec in precibus inuocandus, ei autem D. Bl: ita concionanti, se opposuisse & Synodum Claudiopoli ministrorum 50. congregasse: Dominum Franciscum se stare promisisse iudicio Polonorum eiusdem confessionis. Interea Faustum Socinum venisse ex Basilea euocatum à D. B. Faustum Soz: receptum fuisse à D. Francisco in hospitium (addere potuisset scriptor) & humanissime tractatum. Eundem Faustum accusasse per literas, Domino Blandratæ, hospitem suum Dominum Franciscum, quod pactis non staret, sed perseueraret & cum Fausto & cum alijs loqui & disserere de Iesu Christo non inuocando, non colendo, non nominando Deo: Et interceßisse disputationes & theses & anthises, inter istos tres, D. Fran: & D. Blan: & Faustum. Dominum Franciscum anno sequente h.e. 24. die Feb: Thordæ anno 1579. synodũ indixisse omnibus ministris, id fieri prohibuisse D. Blan: seueriſsimè. Econtrario, D. Franc: prætexisse Synodum haberi pro ministris creandis, & moribus ministrorum corrigendis: Dicenti Francisco credidisse Blandratam. At perfidus & destructor Ecclesiæ Transyluanicæ Franciscus (his laudibus ornatur à Bland: & Fausto R. D. Franciscus) clam aliter agere quam promiserat, & seminare doctrinam, idem esse Iesum atq; Mariam, & Sanctos mortuos inuocare. Tunc Mag: Principem egisse vt D. Franciscus in domo suæ habitationis distineretur, custodireturq; & nullus ad eum accedere permitteretur, quod contra statuta regni fecisset, quæ iuberent ne quid in religione innouaretur, sub pœna exilij: & eius auditores examinarentur, an aliquando docuisset quod Iesus nõ esset in precibus inuocandus: Indicta fuisse Thordæ ab Illustrißimo Principe comitia regni Transyluanici 27. die Aprilis anno scilicet 1579. abs quibus condemnatus sit D. Franciscus blasphemiæ & erroris. D. Franciscum iurasse se velle stare iudicio Ecclesiæ Polonicæ, eiusdem confeßionis: Quare iudicium Ecclesiæ Polonicæ exspectari, iustene fuerit condemnatus D. Franciscus blasphemiæ & erroris, quod dixerit asseueranter vsq; ad mortem, quæ mox sequuta est, Iesum Christum non esse nominandum Deum, si non esset Deus, non esse colendum, non esse inuocandum vt Deum, ab his qui non crederent eum esse verum Deum, annon? (oportet enim atq; licere puto mihi addere, quæ detraxit huius Epistolæ scriptor ad grauandam causam D. Franciſci) petere vt mittantur in Transyluaniam dialogi Polonicè æditi de inuocando Iesu Christo in precibus, & Catecheſis Ecclesiæ Polonicæ. Monere etiam eos, D. Franciscum cum esset Thordæ, & recitatum fuisset ei iudicium Gregorij Pauli de inuocando Iesu Christo, dixisse eodem loco se habere iudicium Gregorij Pauli, quo Romani Pontificis aut Vuittenbergici Collegij (addere oportet) in his quæ sine sacra Scriptura loquuntur. Hæc Epistolæ summa. Ego vero adhæc dico, Annorum ratio conturbata est, & veritas historiæ prætermissa, in hac Epistola, puto enim res ipsas præponderare oportere hominum narrationibus, quæ tum sunt veræ cum respondent & consentiunt cum ipsis rebus, de quibus habent commemorationes, Ita autem habet res ex Epistolis, nuncijs certis, & his qui rebus ipsis interfuerunt, collecta. Anno Domini 1578.

ni 1578. Thordæ habita eſt Synodus miniſtrorum Confeſſionis vnius Dei, in perſona & natura, in qua numerati ſunt miniſtri 322. qui inter alia decretum ediderunt de communi prophetia in Eccleſia introducenda, quod dogma omnibus miniſtris libertatem dabat, ſine periculo diſſerendi inter ſe & quærendi in his rebus quæ à Synodo generali nondum erant decretæ, & conſtitutæ, ſed de quibus poſſet, ſeria ſuſcipi deliberatio. De quare ita D. Bland: ad me ex Alba Iula, An. 1578. die tertia Augu. Menſe Martio præterito habita eſt Synodus generalis Thordæ, vbi fuerunt 322. miniſtri noſtræ confeßionis cum maxima admiratione omnium, in ea introducta eſt communis prophetia, cum optimo ordine & legibus accommodis pro hoc noſtro ſeculo, Confeßio communis confirmata, pædobaptiſmus reiectus: Dominus Franciſcus nondum recuperauit valetudinem, ſed angitur moleſtijs corporis, morbi & animi propter vxorem cuius mater Epilepſia correpta, perijt, &c.

Veſtræ Dominationis ſemper amicus
& bonus frater.

Georgius Blandrata.

HAc autem lege lata de communi prophetia quæ liberabat quemuis miniſtrum à periculo Decreti regni, ne innouator dici poſſet, ſi de his quæreret, quæ nondum publicè à Synodo generali eſſent deliberata, & conſulta, D. Franciſcus Dauidis in ædibus ſuis præſentibus non adeo paucis quærere cœpit:

An, cum Ieſus Chriſtus non crederetur eſſe verus Deus, abſolutè poſſet dici Deus, cum non inueniretur hoc factum eſſe ab Apoſtolis:

An poſſet inuocari in precibus.

An Iuſtificatio & Prædeſtinatio talis eſſe credi deberet, qualem eſſe ſcripſerunt Lutherus & Caluinus.

An Ieſus ſi mortuus non fuiſſet, potuiſſet eſſe Chriſtus.

Hæc agitata & diſputata in domo D. Franciſci, per certos homines, qui omnia quæ habebant, referre accepta tenebantur, impellente naturæ lege, Domino Franciſco, renunciata ſunt D. Bland: vſq; ad diem illum, amico D. Franciſ: Hi fuerunt Demetrius Huniades, & Stephanus Zakmarius, (nominandi ſunt homines à me in hiſtoria, quoniam in literis ad me ſcripti ſunt & nuncijs ſunt nominati.) Eodem anno 1578. poſt meſſem habita eſt iterum Synodus Thordæ. Quod cum intellexiſſet D. Bland. monitus ab his prædictis duobus quos dixi, quid agitaret D. Franciſcus, Monet D. Franciſcum per literas ne quid agitare vellet in Synodo ex his quæ domi ſuæ cum paucis aliquot tractauiſſet impulſus communis prophetiæ lege, Nam ad iram concitatum iri Illuſtriſſimum Principem, & alterum ex duobus electum iri. In hac Sy-

XLVI/c

nodo Stephanum Basilij quædam loquentem audierunt omnes, sed cum in loquendo exorbitare videretur, reiectum fuisse, hi qui interfuerunt Synodo narrant, post hanc Synodum D. Franciscus Theses tres ædidit, complectentes summam eorum quæ ab initio in disputationem vocauerat, De Iesu non vocando Deo, sicut nullus inter loquendum ex nobis aut ex Apostolis vocat, De non inuocando in precibus, De Iustificatione & Prædestinatione, non esse recte à Caluino seu Luthero eas definitas & declaratas, Theses istæ ad manus meas non venerunt, neq; in rebus gestis, neq; in Epistolis recitantur, itaq; Lectori eas non offero. Emericus autem quidam olim inter familiares Domini Francisci, socer Stephani Zakmarij, & tunc senex, Theses D. Francisci statim finita Synodo ex Thorda albam Iulam ad D. Bland. ipse (vt subornatus & iussus à Bland. fuerat) pertulit, D. autem Blandratam re intellecta tribus Thesibus D. Franciscì opposuisse fermè 30. Theses, Ad istas Theses D. Blandratæ respondit D. Franciscus libello paruo, qui in tempore se offerente occasione per D. Paulum Iulanum missus est ad M. D. D. Casparem Bekesium, summum cum florerent eius res, D. Franciscì patronum & amicum: In libello disseritur, Iesum vocari nunc non posse Deum, cum non sit verus Deus, Iesum inuocari non posse in precibus: Iustificationem & Prædestinationem à Luthero & Caluino malè fuisse intellectas. De regno eius Messiæ quem fore Prophetæ diuinarant, qui esset Iesus Christus.

Hoc anno 1578. sub initijs mensis Octobris venit in Transyluaniam vocatus ex Cracouia Faustus Socinus, & receptus est hospitio à D, Francisco, Is ferebat literas ad D. Blandratam, nomine totius Polonicæ Ecclesiæ, in quibus significabatur, de libello D. Franciscì, ad M. D. Bekesium misso. Monebant literæ idem esse faciundum cum D. Francisco, à D. Blandrata, quod ipsi cum quodam Daniele olim fecissent, hoc est, esse in multo dissimili causa Dominum Franciscum excommunicandum. Significabatur autem à Fausto, quid fieret in ædibus à D Francisco. Hæ literæ Polonicæ Ecclesiæ, quæ Ecclesia quantum ad vnum Deum eiusdem erat doctrinæ, cum Ecclesia Transyluanica, plusquam scribi possit, vt præ se ferebat, commouerunt D. Blan. Qui tre conari cœpit, eiscere ex munere publico D. Franc. & decimis colligendis vini & frumenti quæ pertinebant ad D. Franciscum, quo iure quaue iniuria, præponere Demetrium Huniadem & Stephaaum Zakmarium, vt inquirerent & notarent quantum colligeretur, & promittere per ipsos suburbano pastori opulentius salarium. Hæc cum fieri intellexisset D. Franciscus, literas ad D. Bland. scripsit humanissimas, in quibus inter alia hæc sunt inserta. Non puto te crudeliorem esse velle in me, quam Caluinus fuerit in Seruetum, aut in te desiderueris olim esse Caluinum. Respondit D. Bland. ad has literas D. Franciscì, satis seuerè, inserens literis suis, nisi has cogitationes istorum dogmatum deposueris, de Iesu Christo non nominando Deo, de eo non inuocando in precibus, de eo non colendo, &c. faciam vt in comitijs regni vt innouator damneris, & deinde disputabimus de dogmate vter melius sentiat, maximè cum hoc sit iudicium Polonicæ Ecclesiæ. Vt autem intelligas me velle tuæ petitioni satisfacere, fac sub aduentum Illustrissimi Principis nostri, vt sint collecti fratres aliquot viciniores Claudiopoli,

diopoli, vbi indicta ſunt Regni comitia, qui nos audiant & iudicent vter noſtrum meliusſentiat, His omnibus actis interfuit Fauſtus. D. Franciſcus igitur ſub aduentum Principis Claudiopolim ad Comitia Regni, habuit paratos fratres quot colligere potuit ex vicinia, ad ſummum decem. His omnibus congregatis & paratis ad audiendum & iudicandum, vtraq; pars, propoſuit ſua, ſed cum è cœtu egredientem D. Franciſcum, vt libere & ſine reſpectu cauſa iudicaretur D. Bland. & Fauſtus non ſequerentur, regreſſus in cœtum D. Franciſ. conqueri cœpit & dicere. D. Bland. & Fauſtum oportere abeſſe ab ea conſultatione, in qua eſſent pars altera. Paruit dictis D. Bland. & Fauſtus, itaq; egreſſi ſunt omnes tres, Quamobrem illi Iudices inſtituti re bene deliberata & examinata, tulerunt ſententiam ſe de tanta re ſtatuere aliquid non poſſe, conſulere tamen ſi vtriq; parti ita videretur, rem totam generali Synodo eſſe committendam, itaq; volente & annuente Bland. in hanc ſententiam eſt ab vtraq; parte itum. Geſta ſunt hæc eodem anno 1578. poſt Martini feſtum diem, Additum autem fuerat à Blandrata, vt eius ſententia approbaretur ab omnibus quæ eſſet habitura in Synodo ſuffragia plura, reliquis omnibus integris remanentibus. Itaq; pax inter primum Seniorem & Epiſcopum videbatur reconciliata & firmata, Producere tamen conabatur D. Blandrata comitiorum indicendorum tempus vſq; quo mittere literas in Poloniam, & habere reſponſum poſſet. Econtrario D. Fran. non eſſe moras, in tanta rerum turbatione interponendas cenſebat, ſed quam primum, rem totam quæ iam eſſet in manibus Iudicum ab vtraq; parte electorum, eſſe abſoluendam & determinandam, Indicitur itaq; Synodus à D. Fran. ad diem 24. Februarij anni 1579. (intra quod ſpacium dierum & menſium aliquot, bis ire & redire ex Polonia nuncij potuiſſent) vt de controuerſis rebus per ea quæ dicta & probata erant & Iudices inſtituti ad manus habebant, Synodus generalis iudicaret non expectato iudicio Eccleſiæ Polonicæ, & ei ſententiæ aſſentiretur tota Eccleſia, quæ plures habuiſſet ſuffragatores, in generali Synodo fratrum Tranſyluanorum. Indigniſſimè hoc tulit D. Bland. poſtquam animaduertere cœpit, ſe cauſa cſſurũ eſſe hac ratione, quæ res cauſa fuit quod dederit omnem operam per Fauſtum & alios, quo D. Franciſco perſuaderet, Synodum iam indictam, differendam eſſe, donec miſſum fuiſſet ex Polonia Iudicium fratrum Polonorum de controuerſia inter ipſos orta, quod facile D. Franciſcus ſibi perſuaderi paſſus eſt, poſtquam vidit ipſum id tantopere vrgere, quo nulla de ipſo ſuſpicio eſſe poſſet, quod cauſam ſuam, non verbo Dei, ſed aſtu & inſidijs obtinere vellet, Reliqua vero quæ ad hiſtoriam hanc implendam deſiderantur, quia ea à fratribus Tranſyluanis qui omnibus his interfuerunt, bona fide ſunt perſcripta, ad quendam meum bonum amicum Lector ex ipſorum ſcripto petat quod ad verbum hic ſubieci.

SCRIPTVM FRATRVM TRANSYLuanorum ad N. N.

MVlta quidem doctiſsime vir occurrebant, quæ merito nos quominus tuo poſtulatui morem gereremus, deterrere poterant, cum potiſsimum iam

XLVII/16

olim & re ipsa comperissemus quantæ & quam variæ nobis structæ essent struerenturq; indies insidiæ, ita vt quorsum pedem tuti moueremus, & securi periculi procederemus, haud inuenire possemus. Verum cum hac ratione, & tibi cui in causa Religionis multũ debemus (ingrati enim in te & potissimum in Deum absit, inueniamur) satisfieri, & multorum animi lapsi spe incerta ad æquitatem erigi, nonnullorum etiam conscientijs vacillantibus consuli, & quod primum & præcipium est, Illustrissimum Principem tuum, in pio & sancto proposito confirmari animaduerteremus, piaculum esse duximus, etiam cum vitæ periculo tibi & illis deesse, quandoquidem etiam num illud tritissimum apud pios perpetuaq; memoria dignissimum dictum Christi in auribus tinnit nostris, admota manu Aratro, non esse retro respiciendum, nisi velimus Christo capite nostro indigni viuere. In hoc autem scripto præsenti nolumus Autopisti haberi, sed vlterius potius de rei veritate scisciţandi ansam occasiionemque vobis præbere. Dabimus vero operam quantum spiritus ille Dei suggesserit, ne à rei veritate recessisse deprehendamur. Cupimus autem oppido quam nostrum hoc scriptum eo perlegi pectore, quo scriptum est, candido nimirum & syncero, vt à ministris Christi profectum.

Varias ab initio fuisse technas Sathanæ, quibus veritatis progressui semper obstitit, nemo non videt vsq; adeo vt puritatem doctrinæ Apostolicæ, & lucem verbi diuini in perpetuas noctis tenebras conuertere potuerit, Ex quibus postquam diuina gratia in postrema hac mundi senecta affulgente paululum nobis emicare contigit, acuitur furor ille Diabolicus in membris ipsius, vt procedenti veritatis luci fores obstruere non cessent, quin in id totis incumbant viribus, quo Tyrannis conscientijs inijciatur, & homines in perpetuam seruitutem peccatorum & Idolomaniæ mancipentur. Quod proh dolor mæstissimi indies experimur. Sed ne diutius à proposito dimoremur, si quidem Rethoricum orationis filum sequi nostri instituti non est, ad ipsam calamitatum nostrarum exegesim descendamus. Rem ab ouo (ne Penelopes telam retexere videamur) repetere ideo supersedemus, quod tu paulo ante ingressum malorum nostrorum ex hoc Regno discesseris, & eorum quæ te præsente acta, facta, & dicta sunt, optime meminisse potes. Rectissime vero in eo sentis, quod nostris malis primam occasionem, & tanti casus tamq; inopinati causam, nebulonis cuiusdam spurcissimi fæda Sodomisis præbuerit, ex eo siquidem tempore exulcerato erga bonum virum vt intellexímus, fuit animo cui putabat factum suum impium innotuisse, vsq; adeo vt ad ædes illas antea sibi non familiares solum, sed & amicissimas vltra diuertere nollet, sed hospitium apud Ioannem Adam

hominem

hominem ad omnia scelerum & proditionum ministeria aptissimum eligeret. Accessit vero ad hoc summa in D. Francisco pietas, & erga ministros veritatis studiosos epijkia, quæ impio & Atheo homini indies exacuit furorem conceptum. Nimirum quia ministros veritati diuinæ ex cymerijs emicanti tenebris viam sternere, & fores patefacere satagentibus iuxta impium consilium impij hominis, & instantissimas petitiones Principi affligendos, quo Doctoris libidini satisfieret, & gratiam apud suum Principem ex eiusmodi Tyrannide erga pios fratres declarata iniret, nunquam voluit tradere, de quo ipse tu recte intellexisti. Cum igitur ne hoc quidem consequi posset, licet sæpissime tentaret per literas suas hoc inculcans, & frequenter occinens Ecclesiam non habituram pacem, nisi duo vel tres ex ministris nouis imbutis opinionibus Principi puniendi dederentur, quo in illis horrendum statueretur exemplum, & sic demum de veritate vlterius inquirenda omnibus frænum injiceretur. Accessit & aliud quo voluit astutus & vafer ille animos fratrum experiri. Communem esse instituendam prophetiam censuit vti nosti, cui tamen ipse interesse noluit, volens tacendo potius manere Philosophus, quam multa dicendo nihil dicere. Ea res tandem omnium malorum mater veluti extitit, nam cum proditores illi quos optime nosti acerbius à te tractarentur, & suam Philosophiam asinam ruere, aut saltem vacillare viderent, excanduerunt. Ab eo ergo die cœperunt clancularia cogere consilia, occultos congressus instituere, & varias in perniciem nostram moliri calumnias. Supposititias in lucem edere nomine D. Francisci Theses, quas tu ni fallor vidisti. Easdem tandem in antitheses cogere, & sic passim circumferre, Interea D. Franciscus sentiens sibi impios homines perniciem vndiquaq; parare, nihil omisit quod ad sedandos furores istorum attineret, ad quod, vti æquus & sincerus erat quærebat occasiones, quemadmodum hoc ipsius ad Senem datæ literæ luce clarius meridiana testantur. Quibus Senem à pessimo proposito, (cuius iam non obscura indicia videre licebat) & sanguinaria, vindictę libidine auocaret. Quo quidem quantum effecerit ex sequentibus patebit, antequam igitur Senex manifestum se Dei & viri, de Ecclesia & veritate benemeriti hostem denunciaret, cœpit veteratorie agere de quibusdam conditionibus, quibus incautum ad proponendum animum suum sincerum & purum induceret, quibus quidem inconstantissimus ille non stetit, quemadmodum paulo post intelliges, Nam cum Faustus adesset, qui Doctorem de omnibus etiam priuatis ad mensam habitis collationibus & amicis disputationibus, vti scis inuito sæpius D. Francisco factis certiorem redderet, Nec tamen mentem explicare possent, quo pacto innouationis accusarent,

Bonum

Bonum virum eo quod ipse auditor potius quam disputator esset, (aliis interea vti scis acerbissime exagitantibus infaustum illum Faustum facem tanti incendij) per literas primum, deinde suo aduentu coram cœpit de conditionibus agere, quæ tales erant, vt nullum inde periculum metuendum esset, sed latuit anguis in herbis, quas D. Franciscus eo quo erat, fido certe pectore acceptauit, eas Doctor proposuit hoc modo. Dominus inquit Franciscus, scribat fundamentaliter de toto negocio, Respondeat Faustus. Mittantur vtraq; scripta ad fratres Polonos, videamus Iudicium illorum, vbi omnia habebimus cogemus generalem Synodum, in qua proponantur vtraq; scripta & iudicet tota Ecclesia, ac quod magis approbatum fuerit, & consentaneum verbo Dei illud pro firmo & rato habeatur. Conditiones has D. Franciscus, prout erat æquissimus lubenter acceptauit, maxime quia Iudicio Ecclesiæ rem submittendam Doctor promisit, & cum D. Francis. valetudinarius esset, Faustus tamen vrsit coegitq; indesinenter bonum virum, vt quamprimum absolueret, laborabat indies quantum pro debilitate corporis licebat, vt voti faceret Faustum compotem. Licet vero olfaceret bonus vir sibi negocium esse cum homine vafro, nihilominus nolens Ecclesiæ & veritati deesse in opere perficiendo pergebat. Vbi vero absoluit, aliquid moræ interpositum est, propter operis descriptionem. Amanuensis enim cum negocijs forensibus Domini sui maioris ponderis, occupatus esset, duo Exemplaria tardiuscule describere potuit, veritus siquidem D. Franciscus (quod & factum esset) ne supprimeretur scriptum si vnum duntaxat extaret Exemplar, duo conscribi voluit. Cuius rei testes personæ fide dignæ sunt non paucæ, absolutis scriptis: Alterum Exemplar Fausto, qui sæpius dicere consueuerat, se non discendi sed docendi potius causa in has terræ partes concessisse, tradidit his verbis. Ecce habes mi Fauste scriptum, cui oro respondeas ex manifesto verbo Dei sine vlla tergiuersatione, posthabitis friuolis inanibusq; Syllogismis & Sophisticis Scholasticorum Doctorum cõsequentijs. Ille capite aperto promittit omnia, fideliter perlecturum, & intra paucos dies responsurum esse, quippe qui nullius putabat eius refutationem. Sed audi quæso quid factum sit, quamprimum copia ipsi eiusmodi scripti data fuit in quo sincere & pure suam in hoc negocio D. Franciscus mentem aperuisset, nec eiusmodi esset quale ipse forte existimarat, quippe cuius vnico folio, per integras duas septimanas scriptitando (vti Adamo literato ostendit) vix respondere potuerat, posthabita respondendi prouincia, violataq; fide promissionis, de omnibus Blandratam certiorem facit, Accusans D. Francis. cum suis ad Iudaismum præcipites ruere, Christoq; profligato Mosen in Ecclesias introduccre

ducere velle, ac similes texere in sanctum viri propositum calumnias aggressus est, quo intellecto senex putans facinoris sui patrandi se optimam nactum esse occasionem, ad remedia causæ suæ prolabitur, totum negocium Principi communicat. Erat tunc Principissa in transitu versus Varadinum, non procul à Claudiopoli, vno videlicet miliari in itinere, ex quo Doctor eo diuertit, cohortem suam fraude doloq; instruit, ij fuerunt, quos dicit quinquaginta ministri, Demetrius, Stephanus, Eppelius, alter Stephanus, & Lucas ille desinus cum Fausto, his totam rationem tractandi negocium aperit, Faustoq; ex itinere vnius miliaris supra Claudiopolim iubet per literas vt significaret Domino Francisco, se manifestum hostem eius se apud Principem iam declarasse, sicq; inopinato acie instructa bellum indicit. Quod ipsum tamen surdaster ille D. Francis. cum suis celauit tantisper, donec literæ Principis ad Senatum essent altæ, in quibus mandabatur Senatui, vt D. Francisco ab officio docendi interdicerent, & sub custodia asseruarent, ne quenquam ad eum admitterent, donec de eo aliter constitueret Princeps. Redditæ literæ sunt Iudici, Notario presente. Sequenti vero die cogi Senatus debuit, quo inscio Iudex rem insuetam & inauditam suo arbitrio tentare timebat, licet non expers huius proditionis, sed dissimulare volens: Interea redit domum Lucas, & statim ad ædes Soceri (is in lecto decumbebat, & amice cum Fausto conferebat, ignarus tantæ fraudis ne dicamus latrocinij & perfidiæ extremæ) accedit, & cœpit expostulare de hac ingratitudine cum Fausto, quod cum ad mensam D. Franciſci viuat, & in sinu prope eius versetur calcaneum tamen sustulerit contra ipsum. Ille se diris deuouendo excusauit & dixit se nihil horum intelligere, Lucas contrà in facie homini restitit ac significauit, præsto esse mandata Principis, quibus capi, & in custodia iubetur asseruari D. Franciscus. Tunc primum volens audire vir bonus, cœpit obsecrare Lucam Italico sermone, ne ita vehementer in se inueheretur, (nosti enim is quam sit vehemens) se enim contra officium boni viri nihil admisisse. Inter has contentiones infelix D. Pastor, dixit ad Faustum, hæc ego iã dudum præsagiebam, sed quæso recedas hinc, noli clamare, perfice quod cœpisti. Egressus est Faustus, Lucamq; foris præstolatus est, is vbi D. Francisco negocium literarum Principis significasset domum redire voluit, Faustus in porta ipsum operiens, cœpit vehementer se excusare, & strenuè contendere nihil se contra officium boni viri commisisse, nam se manibus & pedibus obnixum fuisse furori Doctoris. Sed ex acri accusatione falsorum fratrum, qui ambitione diuersorum officiorum habendorum flagrarent plane excæcatum esse, ita vt ipsum ne audire quidem rectius suadentẽ voluerit, ita demum iræ habenas se

XLIX/16

laxasse, idq; ideo, quod cum ipse Doctoris sumptibus huc adductus esset, & nunc eius vteretur liberalitate indignum esset se non parere tanto Patrono. In huius vero rei documentum literas Italico sermone scriptas Notario legendas dedit, in quibus Doctor duellum indicebat D. Francisco his verbis, dices Francisco, me hactenus non declarasse coram Principe, me esse hostem eius, sed deinceps pro eo me habeat. Fratribus vero dices, vt in iuncto ipsis negocio feruide pergant. Ista Italico erant conscripta sermone, Lucas nobis retulit, negocium autem erat tale, falsas illas theses, quas tuo adhuc tempore sparserant, nomine D. Francisci circumducebant per maria & per arida, quærentes quibus imponerent, interea dum D. Franciscus captus asseruatur: finito prandio Lucas rursus Socerum inuisit, is quærit quid facto opus sit, suasit ille negocium Ecclesiæ, & cum Dominica instaret dies si fieri posset suggestum conscenderet, & plebem de causa suæ captiuitatis certiorem redderet, ne plebs misera cui tot annis præfuisset calumnijs falsorum fratrum seducerentur, & scandalizarentur in doctrina, tunc quidem vti Lucas retulit non acquieuit illi, ipse inde abijt. Sequenti die quia Concioni Cratzeri interesse Lucas nolebat, ipsum enim docturum putabat, à templo abfuit, circa meridiem in forum prodit, audit D. Franciscum pro Concione dixisse. Quicquid mundus tandem moliatur, tamen Deum vnum esse, toti mundo manifestum fore, sequenti mox die frequentissimus cogitur Senatus, conueniunt Patres conscripti, nouitate rei consternati, quid consilij captent ignari, deliguntur viri primores ad Principem, qui intercedant, ne hac ignominia tantum virum & Pastorem ipsorum afficiat, verum Princeps non acquieuit, sed in custodia asseruari bonum virum iubet. Superueniunt interea aliæ literæ attestatoriæ videlicet & compulsoriæ, fit inquisitio terribilis, examinantur potiores viri Ecclesiæ, ciues apello, de concione habita, in vtroq; enim templo eodem die docuerat miser. Sed ne his quidem adhuc frangitur animus tanti Athletæ, instabat festum diui Georgij, ad quod partialia comitia indicta erant D. Regnicolis trium nationum, Eo plures, quã pro numero conuocatorum, tam nobilium, quam plebeij status & ordinis homines conueniunt, iubetur D. Franciscus quoq; eo deferri, transit Thordam qui locus Comitijs designatus erat. Nobilitas quibus Religio curæ erat, conueniunt in vnum deliberaturi, quid in casu hoc ancipiti faciundum esset, haud immemores pœnarum pauloante in rebelles declaratarum, cunctanter agunt omnia, solas in hac re preces, & supplices instantias sibi superesse putantes, cum Superintendens suaderet ne quisquam sui causa tumultuaretur, se enim paratum esse pro ea quam profiteretur veritate omnia paciſci, neq; tamen temera-

rie in-

rie inhærere velle opinionibus, sed rectiora docturo ex sacris literarum fundamentis libenter cessurum, accedit nobilitas frequenti ad Principem legatione, conantur flagrantem restinguere ignem, petunt obseruari conditiones, & præpropere non esse sæuiendum in bonum virum suadent, Interim Doctore, Fausto, Stephano vtroq; Demetrio, Eppelio, qui septimana vna ante eo conuenerant vt consultarent, non cessantibus oleum igni addere, & in contrarium Principem ab omni clementia abducere, rediit nobilitas nihil impetrat, nam omnia iam in contrarium sensum abrepta erant, quod vehementer nobilitatem commouit. Cum vero Princeps exacerbatos nobilium animos animaduertisset, ac tumultum seditionemq; futuram vereretur, distulit omne negocium in sequentis mensis primum diem, is Iunius erat. Nostrum cuiq; domum redeundi facultate data, cõmissoq; vt sub priori custodia D. Franciscus asseruaretur, quod vbi cognouissent falsi fratres, accesserunt Doctorem his verbis eundem solicitantes, Clarissime atq; Excellentissime Domine Doctor, tua prouidentia hactenus res rectissime est gubernata, nisi deinceps tuum adsit studium hic libe- rabitur. Tũc Doctor in hæc prorupit verba, credite mihi, aut omnia bona mea amittam, aut D. Franciscus morietur, sed volens eosdem magis confirmare addidit, aut ego tandem moriar, aut D. Franciscus morietur, Dum hæc aguntur, & omnes in procinctu sunt, superuenit perfidissimus ille Ioannes Adam, & nuntiat hostes Doctoris, id est, veritatis amatores de libertate Pastoris sui iam Claudiopoli triumphare, tunc illi, en D. Doctor hoc est quod dicebamus, Excanduit mox ille & sumpto pallio importunus ad Principem prorumpit, omnia hæc ei denunciat, accuratius custodiri postulat, ne quisquam cum eo colloqui possit. Impetrat à Principe Prætorianos milites decem, & Capitaneum vnum, vt pro arbitrio suo illum custodiri iubeat, nactus ministrum ad tantum scelus peridoneum, qui accuratius quam committi potuisset rem omnem exequitur, is mandata à Principe postquam accepisset, vt Doctori in omnibus morem gereret, ad Doctorem se confert, summus Religionis Christianæ hostis, & quouis crudelior carnifice, literarum aliquantulum peritus, instructus à Doctore Prætorianos collocat ad domum ibidem adhuc Thordæ milites, prohibentur ab accessu fratres vix pueri admittuntur, qui curent eum languentem, & propriis viribus de lecto surgere minime valentem. Sequenti die domum redeunt, excluduntur proh dolor, à misero parente Liberi, Gener omnino non admittitur, vxor eiusdem magnis impetrata precibus visendi patrem venia, à militibus comitata ad patrem, per raro ingredi potest, remouetur Medicus, vix magnis precibus à Principe obtinetur, quo saltem Tonsor seu Chyrurgus

aliquis admittatur, interim vt præmittitur pseudofratribus ad Rauim furentibus: durauit custodia isthæc per mensem integrum aut amplius, vsq; ad præfixum diem, is erat primus Iunij, Dominus Franciscus continuo morbo Colicæ adeo debilitatur, vt iam loqui vix posset, propter Syncopes accidentia frequentia. Instabat iam dies quo immolandus erat, iubetur solenni custodia deduci. Iam vna septima hostes ante descenderant Albam Iuliam, exequuntur mandata quorum intererat, infelix Pastor, vix lachrimas continemus, nec pedes nec manus recte mouere valens, in currum semimortuus imponitur, tota fere Ciuitate lachrimis discessum eius prosequente, ipso vix hæc dicente. Iam valete nõ me amplius visuri, intantum consumptus erat difficultate morbi, vt cum antea obæso esset corpore, solus gener ipsum in vlnas recipiens in currum vsq; alleuare & imponere potuerit, proceditur Thordam vsq;, ibi ipsum accessuri fratres, vix magnis precibus impetrant, Petrus & Nicolaus vt admittantur, incipiebat iam tunc deliquium mentis pati propter concussionem illam currus & aeris intemperiem, vsq; adeo, vt non sperarent superuicturum in Crastinum, inde Enyedinum, vbi frequentes erant Nundinæ applicant, tertio demum die Albam perueniunt, asseruatur sub eadem custodia eo die, sequenti defertur in domum præposituræ, & vix dum ex curru depositus fuerat, iubetur in Aulam induci, & datur licentia, vt ministri siqui velint ipsum accedere, libere id facere possint, sed vix dimidiæ horæ mora intercessit, donec nimirum vestire se posset, vrgetur ad ingressum in Concilium, in tanta rei celeritate quos eligat vt penes se sint reperit neminem, eo quod ante cum fratribus conferre nõ potuerat, renituntur cuncti, tandem Generum compellat: age inquit fili tu esto præsto mihi, Deus quem colo & pro cuius veritate contendo aderit nobis. Sed quis pro Ecclesia, aut nomie Ecclesiæ ait loquetur? Acclamant, id ipsum Generum præstare debere. Reprehendit ille eos grauiter, ostenditq; indecorum esse, vt qui Ecclesiasta non esset, vox Ecclesiæ esse debeat. Sed eligendum D. Nicolaum, & Petrum Ouarium, se pro Socero facturum quæcunq; posset, & deberet, acquiescunt Consilio, & Deo vela committentes vastum periculorum mare ingrediuntur, atq; in aulam Principis ingressi, palatium illud amplissimum & superbum, in quo prandere solet, ascensu ægerrimo sane superãt, ingrediunturq; eos comitantibus vtrinq; Prætorianis militibus & fratribus quibusdam, calcem Soceri genero tenente. Postquam vero palatij limites superassent, ecce astat ingens hominum multitudo, quæ ad tragediam hanc videndam confluxerat, vt pene portarentur ab eis, facto tamen spacio accessus ad tribunal paulatim coarctati vtrinq; à circumstantibus penetrant, vbi miser D. Franciscus

cus ob longam ægritudinem & afflictam corporis valetudinem vacillantibus cruribus stare coactus est, donec Illustrissimus Princeps compassione motus subsellium illi dari iussit. Erat Concilium illud plane primo quidem aspectu terribile, quale videri posset Romæ, sed Dominus adfuit illis, vt omnia contemnere potuerint. Illustrissimus Princeps pro maiestate sua solus sedebat, veluti pro tribunali, cuius latera vtrinq; cingebat in Synedrio purpuratorum ordo, eos equestris, tandem nobilitatis ad miserias ipsorum diiudicandas accersitus non paruus subsequebatur numerus, pauciores quidem ex his qui ipsorum essent Religionis, quam pro numero aduersarum partium.

Ex oppositò verò quo circulus conficeretur, à dextris in triplici ordine accusatores ipsorum, quorum caput & os Blandrata erat consederunt, à sinistris verò Hungarienses trinitarij, & ex Saxonicis Parochis non pauci sedes occuparant, inter has duas Præsbyterorum alas, ipsi angusto concluſi angulo, à militibus Prætorianis cingebantur, rebus sic dispositis, Magnificus Alexander Kendy, vir summo ingenio, & acri præditus Iudicio, linguæ verò facundia in vtroq; idiomate latino videlicet & Hungarico admirabilis, & de literis tam Græcis quam Latinis præclarè meritus, is vox Principis erat, in hunc incipit fari modum, principio studium & alacritatem in defensione patriæ, dehinc legum custodiam solertem in Principe dignißimo, quibus potest breui tamen sed venusta commendat oratione, tandem sumpta hinc transitione ostendit, quanto mœrore Illustrißimus Princeps, affectus sit, cum intellexisset Schismata, & sectiones in Religione, inauditasq; innouationes indies in hac patria nostra oriri, & maxime ab ijs quorum intererat eiusmodi blasphemos in Deum, & in sanctißimum verbum eius compescere, ne vero virus hoc vlterius serperet, & pestifera doctrina errorum, in hominum cordibus altiores radices ageret, sedulo se cauere voluisse, velleq; pro officio, quæres etiam causa fuisset, quod D. Franciscum Dauidis hactenus in custodia asseruari voluisset. Sed ne tumultuariè in negocio procederetur, edictum velle Cels suam ne quis loqui ausit nisi interrogatus, hæc vero res non paruum D. Franciſci amicis incußit terrorem, verebantur enim ne omnino indicta & inaudita causa damnaretur miser, sed mox subiecit his exceptis qui se mutuò accusarunt, quo finito Doctor surrexit, & facta solenni protestatione in hæc verba ora resoluit, Illustrißime Princeps, Clarißimi Senatores, egregij ac nobiles vniuersi protestor coram Deo, & Cels. vestra, ac omnibus vobis me coacte feciſſe, facereq; quod facio, Ego enim D. Franciscum ab anno iam, aut vlterius monui, hortatus sum per literas, oretenus, imò & per fratres ex professo ad illum missos, vt ab hac innouatione cessaret, aliosq; compesceret, sed meis monitis parere noluit, Cum igitur in Ecclesia ista pericula præuiderem conscientia adactus, huic malo præuenire coactus sum, ad hæc D. Franciscus anhelus vti loqui potuit, respondit, Domine Doctor memineris me adhuc Varadini in disputatione dicere, nos argumenta aduersariorum hac ratione non soluere, sed eludere. Ex quo ego tempore, in gratiam tuam cō-

scientiam meam captiuam tenui, Hæc verba Alexander Kendi Doctore adhuc respondere volente interrumpit tali sermone. Tu vero audi Francisce Dauidis, certissime ad Illustrissimum Principem perlatum est, te in doctrina innouasse, & blasphemas contumelias in Deum & filium eius Iesum Christum in publicis concionibus, Claudiopoli pro suggestu iactasse, nec hoc per incertos rumores sua Celsitudo edocta est, sed hi fratres discipuli & cooperarij tui (pseudofratres digito ostendens) quibuscum in eodem cœtu versatus es, in eadem docuisti Ecclesia, te apud Illustrissimum Principem detulerunt, & huius accusarunt innouationis. Nunc igitur Illustrissimus Princeps, confessionem tuam super eo quod suæ relatum est Celsitudini audire cupit, ne quis te inauditum damnari conqueri merito possit, hic Dominus Franciscus in pedes quantum poterat assurgit, & propius quousq; permissus est ad Principem, quo exaudiri ab eo posset accessit, ac ipsum sic alloquitur, Illustrissime Princeps, valetudinem meam ægram & fractam vides, manus siquidem Domini tetigit me, linguam ademit, vt ego pro me respondere non possim, concedatur filio meo (generum capite ostendebat, manus enim amiserat iam) pro me loqui, hæc Princeps non intellexit, quod linguam infelix D. Franciscus voluere vix posset, generum, quid velit, quærit, exponit is petitionem Soceri, annuit statim Princeps, redeunt in stationem suam, Tunc Alexander Kendi aperta charta quadam complicata, quæstiones ibi denotatas in hunc proponit modum. Quæreris D. Francisce Dauidis primum, an hoc pro concione dixeris, Christum in precibus non esse inuocandum, Secundo, quod qui Christum inuocent, perinde peccent ac si beatam Mariam, Petrum, Paulum, & alios Sanctos mortuos inuocarent, hic Doctor adiecit, aliquid de scripto D. Francisci, an fateretur suum esse. Ad hæc miser quantum poterat cœpit respondere, sed non poterat à quoquam intelligi, gener ergo qui proximus stabat, auremq; ori adhibebat, & rerum omnium iam ante peritus, beneq; edoctus fuerat, respondit. Primum quod ad scriptum attinet, quæ nostra sunt, ea nostra esse non negamus, quæ vero aliena, & nostro nomine circumducta fuerunt, ea neq; nunc nobis vendicamus. Sed neq; scriptum illud esse tale, quod nunc debeat defendi, vel impugnari, stare enim se velle conditionibus vtrinq; acceptatis, nam sub Iudice adhuc litem esse, necdum sibi responsum esse, & exspectari censuram Ecclesiarum Polonicarum & nostrarum. Quod vero ad quæstionem (inquit) meam attinet (Soceri enim verba referebat) & quæsita Illustrissimi Principis. Hic Doctor impatiens generi sermonis, iubet ipsummet D. Franciscum loqui, quo ipsiusmet verba & pronunciata per iuratum Principis Secretarium annotarentur. Infelix rem aggreditur, sed cum non possent illum audire, reddita genero iterum facultas loquendi pro eo est, pergitq;. Quod, inquit, attinet ad concionem habitam ea hæc fuit, Sumpsi textum ex historia Euangelicæ, Ioan: cap. 2. vbi describitur inuitatio Christi & Apostolorum ad nuptias in Cana Galileæ celebratas, item defectus vini, nec non petitio matris Christi, postremo admonitio Mariæ ad discipulos filij, vt videlicet, quæcunq; illis Magister præciperet ea facerent, ex his verbis tale concionis meæ desumpsi argumentum. Quicunq; cultus diuini in verbo Dei non sunt præ-

cepti

cepti & mandati ij Deo grati esse non possunt, inuocatio Christi vera cordis fiducia facienda, in literis sacris nusquam præcepta, aut mandata à Deo reperitur, Ergo ea non potest Deo esse grata. Quod vero ad secundum quæsitum pertinet, dixi: Si vero extra Scripturam sacram commentis humanis & nostræ rationis ductu rationes inuocationis Christi, seu quomodo possit inuocari, rimari & scrutari volumus, ijsdem certe rationibus, & sanctos tum viuos tum mortuos inuocare possumus. Hæc dũ dicit & notarius añotat Doctor Sarcastico risu subinde in hæc prorumpit verba ad Iudaismum ad Iudaismum reditis, Domino Francisco submissa respõdente voce: Domine Doctor, tu in eadem hac fuisti ante paucos annos sententia, interim dicta Lucæ conscribuntur, & Alexander Kendi subiecit. Intellexit Illustrißimus Princeps quid respondeas, & si vero verba ipsa aliquid à quæsito discrepent, tamen sensus idem est. Ideo sua Celsitudo dicit si negasses hæc te in publico dixisse, quod hoc ex scriptis tuis & viuis testibus comprobasset, (Erant enim primores ciues Claudiopolitani, & qui studiosi concionum Domini Francisci erant, Albam pro testimonio ferendo coacti) Restat nunc, quandoquidem sua Celsitudo hoc non scrutatur, sed neq; scire satagit, vera ne sint hæc nec ne, vt doceatis hæc noua non esse. His finitis Doctor assurgit, & vermem conscientiæ suæ prodit, ac in hæc erumpit verba, D. Franciscus dicit me in eadem fuisse sententia. Ego vero dico & protestor coram Deo, coram Illustrißimo Principe & tota Ecclesia me non fuisse neq; consensisse vnquam in hoc, quin si vel dixi vel scripsi aliquid in hanc sententiam, nunc pro reuocato & recantato habere volo, subiiciens & tu sic facies Domine Francisce. Ad hæc gener maximo Zelo ex abrupto, non faciet inquit, non enim est constantis sed leuis viri, semel pronunciata citra rationem reuocare, Adhæc senex, noli, tu perdes te & ipsum, cui Lucas ex contemptu quasi, fiet tandem quod Deus volet. Interea instat Doctor vt theses legantur (nam D. Franciscum innouatorem esse se probaturum, tam impreßis quam scriptis libris vltro receperat) quas ex scriptis & responso D. Francisci ad scriptum Fausti facto, veteratorie partim mutilato, & detorto scripti sensu, partim transpositis in alium sensum verbis, partim falso citatis collegerat, incipiunt legere, gener interturbat affirmans nil ad rem facere, Principem enim de veritate alterutrius assertionis nolle cognoscere, sed an noua vel recepta sit antea ista ipsorum assertio id demonstrari velle, contrà Doctor affirmat perneccssarium esse, Econtra gener negat, nisi conetur in inuidiam boni viri, amici & fratris, hæc dici & pronunciari. Diu inter eos dimicatum est, Principe patienter eos tollerante. Excanduit tandem Doctor, minari incipit, Lucas contra furorem eius exacuere volens forensi plane gestu & vultu toruum intuetur hisq; verbis eum compellat. Domine Doctor ad tribunal Illustrißimi Principis stamus vterq;, parce minis, non enim hic minis, sed legibus & iustitia agitur, eadem mihi pro me dicendi libertas conceditur, ac tibi pro te, hic senex volens procedere longius, ab Alexandro Kendi vt modestius ageret admonitus est, tandemq; resedit, perrexerunt legendo quoad voluerunt. Cum vero absoluissent omnia quæ volebant dicere, iußit Socerum Lucas surgere, Principem suppliciter orare, vt habita ratione

tione primum strictißimæ captiuitatis, dein etiam afflictæ valetudinis, in crastinum concederet defenſionem ſuam differri, cum etiam in criminalibus cauſis concedatur tertius dies reo, ad reſpondendum accuſatori, præterea et tempus effluxiſſet, inſtabat enim duodecima iam hora, præterea ipſos imparatos eſſe, quippe quibus nec cum filijs, nedum cum miniſtris colloquendi copia fuiſſet conceſſa. Aſſurgit cohors Pſeudofratrum acclamat rem non debere differri, nã illum tum fuiſſe & debuiſſe paratum exiſtere, cum hæc in publicum ſpargeret. Econtra Lucas allegabat nil antequam mandata Illuſtrißimi Principis ad Senatum perferrentur de remouendo à docendi munere ſocero ipſum publicaſſe, ſed poſteaquam certior eſſet factus de voluntate Principis, coactum fuiſſe vitandi ſcandali ergo plebem de inopinato & inaudito eiuſmodi caſu deq; cauſa captiuationis commonefacere. Cœpit tanto magis eos furor exagitare, ita vt è ſubſellijs exurgentes Demetrius, Eppelius, & Stephanus ille Cumanus aſinus, cum Doctore in medium prorumperent, quos diuino auxilio mendacij manifeſti conuiciſſet Lucas, (aderant enim præter Iudicem, qui & ipſe triginta acceperat argenteos, omnes fere Senatores, quos dicti ſui teſtes inuocabat) niſi pudore ſuffuſi, ſi tamen pudere eos potuiſſet, obmutuiſſent, & in loca rediiſſent ſua. Ipſi interim relegantur, dum cõſultatur an prorogatio rei in craſtinum concedi debeat, Efflagitantes interim vt qui accuſatores ipſorum eſſent ſimul egrederentur, ne ijdem etiam Iudices ipſorum fierent, ſed non eſt conceſſum. Facta conſultatione intromittuntur, cõceditur dilatio, & libera quibuſuis ad D. Franciſcum commeandi facultas. Interim ex ijs qui interfuerunt conſultationi, Item ex relatione deliberationis per Alexandrum Kendy pronunciata, intelleximus, quanta cum contentione obſtiterint ipſius D. Franciſci accuſatores, ne in ſequentem diem negotiũ differretur, veriti fortaſſe quod & accidit, ne ex magnatibus, qui ipſius eſſent confeſſionis, plures intereſſent huic negotio, quos iam aduentare certum erat. Redeunt in hoſpitium quiſq; ſuum, Dominus Franciſcus in carcerem deducitur. Conuenit turba fratrum, ancipiti caſu attoniti, & quid Conſilij capiant in re tam periculoſa ignari, aut quid in commune conſulant plane imperiti, languet tanto magis Dominus Franciſcus, nullam tamen præ ſe puſillanimitatem ferebat, accedunt nobiles ſciſcitantur de cauſæ ſtatu, ſed quid miſer referat quem multa volentem dicere, vox deſerebat, interim hortabatur ſingulos, ne ſcandalizarentur in ſuo caſu, etiam ſi occumbendum ſibi eſſet, viſurum enim mundum, & reipſa comperturum, vnum eſſe Deum, qui ſolus honore diuino coli velit. Ne tamen quiſpiam rerum imperitus & refragrante conſcientia ſeſe ſibi adiungeret in hoc vitæ diſcrimine, ſed potius paci quantum quiſq; poſſet ſalua conſcientia conſuleret, donec Dominus mitiora concederet tempora collachrymantibus ſubinde fratribus ſuadebat, toto eo die negotium conquieuit. Illi vero quibus negotium curæ erat libros tum ſcriptos tum impreſſos conquiſierunt, in quibus aſſertio Blandratæ & aliorum quorundam Pſeudofratrum, de vno & quidem ſolo vero Deo patre inuocando & colendo manifeſte continebatur, inprimisq;, Doctoris Blandratæ tale reperiunt argumentum. Si vlla vera adoratio, & cultus Dei manifeſtatus fuit in veteri teſtamento,

is à

is à Christo declaratus fuit in nouo Testamento: Sed solius Dei, patris adoratio & cultus est declaratus à Christo Ioan. 4. Ergo. Item, Cathechesin quandam ipsius, quam mediante Parutha, in publica seu generali synodo Radnothini celebrata, pronunciari & publicari curaverat, in qua solum Deum patrem inuocandum esse, clarißime habebatur. Item librum Someri contra Carolium publico Ecclesiæ suffragio approbatum, in quo quærebatur, quis inuocandus & adorandus? & respondebatur solus Deus pater, qui lucem habitat inaccessam, ac alios innumeros Scripturarum locos, qui ante Octennium, Quinquennium & vltra, publicata fuerant, ante legem & edictum de inuocatione publicatum, Dispositis igitur omnibus rebus, mane facto hora circiter septima in semihorologio, palatium iterum ex mandato Principis repetunt, viribus vsq; adeo deficientibus, vt iam D. Franciscus amplius incedere non posset, sed à quatuor ministris in sede portaretur, facto igitur silentio, & data copia loquendi, primum omnium, eandem sibi defendendi licentiam dari quæ accusatoribus ipsis data esset contenderunt, D. Franciscus cum suis, sed impari spatio concessum est, & omnia ipsorum dicta producta, & testimonia, stipulæ æstimata pene sunt. Nihilominus Principe solenniter salutato, & protestatione facta procedunt. Cum igitur vti præmissum est Doctorem accusatorum ipsorum caput, scriptis suis impetere cœpissent nulla alia ratione ipse obuiare potuit, quam quod vera sint de patre, sed non de Christo. Lucas vero cum particulam exclusiuam (solus) vrgeret, ipso Doctore obmutescente, silentium hac de re etiam ipsi impositum, ac vt pergeret cõmissum. Progreditur ac omnia exponit quæ ad defensionem soceri faciebant. Vbi vero absoluisset: scripta, simulq; libros quos citauerat, Cancellarius Illustrißimi Principis ab ipso exegit. Quibus omnibus per Lucam ipsum depositis, iubentur exire, vel educi potius diligenti per totam ciuitatem posita custodia, ne quis sacerdotum aut ministrorum, ipsius vti putabatur cõfeßionis elaberetur. Lucas contra acerrime instat, vt accusatores Soceri iam tandem exeant, id enim omnes omnium gentium leges, ritus, consuetudines, iura, & constitutiones iubere. Respondetur ab Alexandro Kendi nomine Principis, ipsorum præsentiam, in transactione huius negotij maxime desiderari requiriq;, cum ex alio quopiam negotium totum melius resciri non poßit, quam ex ipsis quibuscum conuersatus sit, inq; eadem Ecclesia docuerit. Antequam vero educerentur. D. Franciscus adhuc monet Doctorem vt resipiscat, & stet conditionibus scripti, se enim rectiora monenti non detrectare subscribere, expectet Iudicium Ecclesiarum Polonicarum & Transyluanarum, vti ipsemet proposuisset. Cui Doctor, visne acquiescere iudicio Ecclesiarum Polonicarum, nostras non nominabat, cui D. Francisco respondere cunctante, respondit Lucas, Ecclesiæ nostræ sunt liberæ à sola libertate regni & nobilitatis pendentes, quæ vti ex alijs regnis non dependet, ita neq; religionis nostræ libertas alio respicere debet. Ad hoc Doctor, tu sile, sine illum pro se respondere, aut tu pro Ecclesia loqueris? ipso dicente non pro Ecclesia, sed pro se & socero loqui. Adiecit Alexander, Noli, expecta non negligeris et tu, interea D. Franciscus Doctori respondit. Ego me iudicio & censuræ bonorum virorum in Polo-

lonia existentium submittam, dummodo manuscriptum transmittatur, tum Doctor, neq; disputare amplius vis de eo respondit D. Franciscus mortem præsentiens, ego deinceps non disputaturus sum. Tum Doctor acclamat, oh optime promittit, Polonicarum Ecclesiarum iudicio se subscripturum, ipsi vero Poloni, trecentæ videlicet Ecclesiæ consentiunt in doctrina de invocando Christo, ac pulcherrimum superinde Dialogum conscripserunt, ex quo Ecclesia intelliget ipsorum iudicium, sed tamen ne ipsi nos defuisse dicat quis, scriptum eius mittemus in Poloniam, vna cum scriptis nostris, & allatum inde iudicium, vna cum ipsius & nostris scriptis prælo submittemus. Hoc finito educitur, iubentur & ij qui eius essent confessionis exire, deliberatio durauit per integram horam & dimidiam, D. Francisco sæpissime dicente: Doleo quod vel minimam subscriptionis fecerim mentionem, & cum sæpius hortaretur generum vt ingrederetur & retractaret illa verba, non est intromissus. Dum deliberatur, amici qui frequentes manserant in palatio exeunt, & clam Lucæ significant rem in summo versari periculo. Nam cum scripta essent versata & ventilata, defensio alicuius visa est ponderis, sed quo se iudices & Princeps ipse expedirent & conscientiam saluarent, horrendum & terribile accusatoribus nostris imposttum est iuramentum, super eo videlicet an ipsi fuerint participes & conscij huius innouationis & opinionis, demum an sit blasphemia in Deum. Primusq; Doctor surgens iurauit in hunc modum. Ego Georgius Blandrata fateor coram Deo omnipotente, & filio eius Domino Iesu Christo, coram sanctis Angelis, & electis Dei, me huius opinionis Francisci Dauidis, in nullo esse nec fuisse vnquam participem vel conscium, affirmoq; esse nouam, præterea horrendam in Deum & filium eius blasphemiam, sic alij consequenter, quorum numerus continebat, 25. vel circiter personas, inter quos Demetrius ille, volens Doctorem superare (mireris enim, quomodo certatim vnus præ alio iurare sategerit) addidit se pro ea ætate, cum ethnicos tum sacros Scriptores legisse, sed non incidisse in eiusmodi horrendam blasphemiam, nisi æquaret Franciscum Iuliano apostatæ qui ictus fulmine sanguinem desperabundus ex vulnere nudum in aera iactasset, confitendo Christum in hunc modum, vicisti tandem Galilæe. Hunc non absimili oratione comitatus est Ludouicus ille Zegedinus, homo iam decrepitus, is volens fauorem Principis & aliorum captare, incipit, vides Illustrissime Princeps, videtq; confessus clarissimus, quæ mea sit ætas, ab ineunte igitur ea nunquam peperci diurnis simul & nocturnis lucubrationibus assiduisq; sacrorum codicum lectionibus, percurri multorũ hæreticorum damnatas opiniones, & execrabiles errores, sed huic Franciscí hæresi similem me legere non memini, super quo præmisso modo horrendum præstitit iuramentum. Post hoc Hungarienses trinitarij iurare perrexerunt, quorum vnus (is erat Pastor Ecclesiæ Riuulensis) cum cæteri omnes in necem D. Franciscí facta conspiratione iurassent, volens saluare conscientiam, adiecit, ego meam conscientiam volo esse liberam, calculumq; meum nolo quocunq; obligare, fateor vero conscientiose, me innouationis D. Franciscum non damnare. Nam adhuc tempore disputationis Varadianæ, cum fateretur, vnum illum Deum Israelis audiendum propositum,

positum, esse solum patrem Christi, excluſit à diuinitate filium & Spiritum sanctum, quo licet explicite non negauerit, Christum adorandum, implicite tamen reuera negauit, tunc etiam. Nihil igitur nunc innouasse eum dico, quo audito cæteri grauiter eum exceperunt, quod desciuisset ab eis. Porro Saxones antiquam suam cantilenam canentes, se ab Augustana Confessione nunquam defecisse, sed nunc quoq; in eadem constanter persistere, nolentes quippiam cõtra eandem committere, causa in præsenti nullam se ferre posse censuram affirmarunt, tandem nobilitas nostrarum partium quæsita est, quæ se opinioni D. Franciſci potius, de non adorando inuocandoq; Christo, adhærere, quam semel damnatæ sententiæ aduersariorum de eodẽ Christo Deo adorando, iterum subscribere velle prolocuta est, & consequenter vltimus Alexander Kendy, nomine Principis, suo, & Iesuitæ, trinitatem affirmans, D. Franciſci opinionem tanquam blasphemam damnauit, his absolutis intro vocantur, vbi peruenissent in Concilium ecce accusatores apud Principem instant supplices, vt vitæ D. Franciſci conniuere velit, cũ nondum capitaliter aut criminaliter pronunciatum esset, sumpto argumento ex dicto Christi, &c. Interea Doctor secedens ab eis, rediit ad D. Franciſcum, ex eum complexu tenens, hæc in aurem dicebat. Noli timere ego inueniam gratiam apud Principem, respondente D. Franciſco, age, age, perge vti cœpisti, multi imo & Princeps ipse amplexum hunc oſculum Iudæ interpretati sunt. Regreditur Doctor ad suos, qui pro gratia D. Franciſco impetranda apud Principem instabant, horum prolixam orationem trinitarij Hungarienses, exceperunt sanguinaria plane oratione sumpta ex præcepto Moysi dato, de interficiendo Pseudopropheta, confirmantes multis rationibus, omnino debere interfici D. Franciſcum tanquam blasphemum, interminando Principi in hanc sententiam. Te Princeps Illustrißime, custodem vtriusq; tabulæ, hodie vna cum coniuge & liberis, & omni posteritate, citamus ex officio nostro, ad tribunal tremendi iudicis Iesu Christi quem hic blasphemauit, si hunc viuere permittis. Quibus auditis Princeps, siue attonitus inaudita nouitate, siue commotus impudenti inuectiua, vultum mutauit, & accersito Alexandro respondere iussit. Audit Illustrißimus Princeps, vestras vtriusq; partis orationes, promittit igitur sua Celsitudo se daturum operam, vt ostendat omnibus se impune tantum scelus non prætermisisse. Tunc in D. conuersus Franciſcum dixit: Intellexit Illustrissimus Princeps totum hoc negotium, quomodo tu tui cerebri ductu, neglectoq; consensu Ecclesiæ, in hanc Atheam, execrabilem, & inauditam blasphemiam proruperis, & contra decreta regni publicaueris innouaueriſq;, sua igitur Celsitudo in te iuxta demeritum tuum statuet exemplum, quod etiam alios ab eiusmodi phanaticis innouationibus deterrere debeat. Interim in custodia Illustrißimi Principis, asseruaberis, donec vlterius de te constituatur, hic iterum traditur militibus solus deducendus nemoq; iam amplius admittitur, imo & pileo eius diu inter prætorianos lusitatum est, & pedibus calcitratus, tandem per fratrem Nicodemitam eidem reportatus, hic exitus eius fuit. Abducto itaq; D. Franciſco Alexander in hæc erumpit verba. Postquam Dijs fauentibus studio & industria suæ Celsitudinis & Consiliariorum

LIV/6

suorum, effectum est, vt scaturigo nefandæ huius opinionis obstructa sit, atq; obturata, datura est operam eadem, vt riuuli eius omnes exiccentur. Quo dicto compellauit fratres, vidistis quid de capite vestro Francisco Dauidis factum est, eadem manebit pœna omnem, quicunq; opinioni eius damnatæ adhærere compertus fuerit. Nunc igitur fatemini Christum esse Deum adorandum. Hic diu cunctantur, & quid respondeant non inueniunt, tandem ex mutua cohortatione, in crastinum conantur dilationem petere, tergiuersando ad quæsitum non respondent. Iterum repetit Alexander, Categorice, inquam, respondete ad quæsitum, tunc Petrus ille Otuarius ait, amarissima profecto mors est, sed vtiq; postponenda libertati conscientiæ, nondum plene hæc enunciata erant verba. Consurgit tota nobilitas, petit supplex negotium ministrorum, in posterum diem prorogari, quod multi ignari huius rei, & confessionis D. Franciſci tanquam Superintendentem comitati sint, visuri quorsum res euadat, alias etiam quamplurimas allegantes rationes impetrant à Principe postulatum, fideiubent pro omnibus, neminem ex ministris interea discessurum. Dant fratres nomina Secretario Principis, & sic dimittuntur. Cesso iam percusso pastore, describere dispersionem ouium. Mane facto is tertius iam erat miseriarum dies, ingrediuntur in Palatium, seriatim proclamantur qui ascripti erant. Vltimus Lucas aduocatur, ignarus quod factum erat. Nam fratres eo inscio nomina Doctori dederant periculum euitaturi, interrogatur si quid haberet dicere, dixit quæ potuit, se secularem esse personam, igitur legem de innouatione ministros non autem se premere, sed obuiatum illi confestim est, lex enim lata statim est eusmodi videlicet, deinceps non solum Ecclesiasticas, sed etiam seculares personas eidem pœnæ obnoxios fore, quicunq; ducem erroris & damnatæ opinionis D. Franciscum Dauidis sequeretur, ea statim lege fertur & gratiæ Principis incarcerandus traditur, donec Deum suum cognoscat, & Principis appræhendat gratiam. Posthæc Blandrata cogit Synodum generalem, Claudiopoli ad 1. Iulij diem, vbi fere omnes Ecclesiarum de vno Deo ministri conueniunt. Commemorat illis senex quomodo Principi promiserint, quod velint sibi consentire, & sic eos ad subscriptionem cum iuramento cogit. Sed cum se nihil efficere minis animaduerteret, Italica quadam astutia commotum ministrorum animum sedare, & dolo illis imponere nititur, vt saltem nomina illorum habere & Principi offerre possit.

Dat eis formam subscriptionis eam, quæ quasi aliquid conditionis in se habens, leuanẽ quodam conscientiarũ, adferre ministris videbatur, affirmans multis argumentis non esse bonũ cogere conscientias, cum alias liberè esse debeant, ea talis erat. Libris viuo rege Ioanne secundo editis & publicatis subscribunt, ea tamen conditione vt si qui volunt de veritate doctrinæ possint melius edoceri. Ministri non præcogitantes quid subesset doli, dant sua nomina, & articulis quatuor receptis, & senatoribus 24. in consistoriũ electis dimittuntur. Superintendens per fratrum suffragia nõ eligitur, eo quod Demetrius simpliciter ab omnibus reijciebatur, cui Doctor, vt sua adimplere posset promissa, suffragia interrumpit, ac Ambrosium illum Macerium, qui propter stuprũ cõmissum cum suis ancillabus, publice à fratribus quibusdam accusatus, &

ab Ecclesia

ab Ecclesia excõmunicatus est, Thordæ in Synodo te præsente vti scis, hominem callidum, & vafrum subordinat, & ad Senatum nomine Principis mittit. Ille legationem Senatui refert, quasi Principis esset voluntas, vt qui in Superintendentẽ eligeretur, idem Ecclesiæ quoq; Claudiopolitanæ præficeretur, quod aũt Demetrio fratrum suffragia inseruirent falso referebat, cũ tria aut ad summũ quatuor vix pro illo lata sint suffragia, ac vt eum Senatus recipere velit nomine Doctoris petebat, authoritateq; Principis mandabat. Tum quidem Senatus eum non recepit, at postea recipere coactus est, Demetriũ enim Albam secũ deduxit, & Principi nomine Ecclesiæ totius cõmendauit & sic Princeps eum confirmauit, et Ecclesiæ Claudiopolitanæ inuitis ciuibus præfecit citra ministrorũ cõsensum, & sic tanquã fur & latro aliunde ascendit, & in Superintendentẽ creatur. Paucis post dicbus Demetrius cogit consistoriũ 14. die Septemb: Claudiopoli, eo nimirũ nomine vt de Ecclesiastica disciplina aliquid instituatur. Conueniente Senatu, prælegitur scriptum quod Demetrius ex Blandratæ consilio collegerat, in quo, pædobaptismus, cœna, & alia hominũ cõmenta, ab Ecclesia iã diu intermissa, recipere & obseruare iubentur. Senatores qui erant ex fratribus nil prorsus cõcludunt, eo quod vnica ex prælectione omnia mente cõcipere nõ possent, sed vt ad singulos eorum scriptum prælectũ mittatur, quo maturius de eo iudiciũ ferre possint, efflagitant. Placet consiliũ Demetrio & socijs eius, statuitur dies 1. Nouemb: quo iterum Senatores cõueniant. Interea temporis exemplaria ad eos cũ literis mittuntur. Aduentante tandẽ die conuenit iterum Senatus Claudiopoli vbi disciplinæ nulla fit mentio, sed Polonorũ iudicium ipsis proponitur & prælegitur, cui vt subscribant omnes, serio mandant cum graui cõminatione. Ex fratribus qui præcipui erant, videlicet Nicolaus Ztarainus & Petrus Ouarius, annuunt statim & subscriptionem promittunt, nec quicquam illis opponunt. Tres ad summũ ex fratribus qui tũ aderant, inuenti sunt, qui se opposuerunt, & subscribere noluerunt. Matthæus Pictoris, Ioannes Vduarbelij, & Andreas Erdeodi, cæteri defecerunt. Reijcitur negotium ad generalem Synodum Claudiopoli, ad diem Epiphaniarum indictam, vbi iudicio Polonico prælecto, omnes fere ministri præter paucos subscripserunt. Vix inuenti sunt ex 250. 16. aut 18. qui non subscriberent. Illis silentium imponitur ne ad futuram vsq; Synodum doceant, donec maius aliquid de ipsis statuatur. Eliguntur denuo seniores duodecim, qui manibus Biblijs impositis cum iuramento quodam graui, ad fidelitatem Ecclesiæ à Demetrio reformatæ, sese obstringunt, nec quicquam de ijs quæ in Consistorio agerentur, cuiquam se eliminatueros pollicentur. His peractis, volens Demetrius ostendere, qui sint factiosi & traditores veritatis, (promiserat enim se ostensurum qui essent illi) cogit omnes ministros ad cœnam buccellarem, die quæ sequebatur Dominica, quod pro dolor non paucorum cum offendiculo, in testimonium vnionis & consensus fuit, & sic tandem dimittuntur.

Huc vsq; scriptum fratrum Transyluanorum.

Ex hac vere narrata historia, quis non videt D. Franciscum Dauidis, contra quam conuentum fuerat, in carcerem detrusum fuisse? nam conuentum fuerat vt innouator Regni non esset, qui ex communis prophetiæ lege, Lutheranus, Caluinianus, vnius Dei, quilibet in suę professionis doctrina, aliquid apponeret, & generali Synodo examinandum subiiceret, & ne innouatori in regno maior pœna esset soli versione, & ne is, ex duobus alter, iudicaretur male sentire de Iesu Christo, aut Iesum Christum blasphemare, qui suæ sententiæ in Synodo, quæ indicenda erat plures habuisset suffragatores. In epistolis vero scriptis ad me à D. Bland: ad hunc modum est scriptum. Die 18. Martij anno 79. Diuexor nimium à D. Francisco, qui clam contra ordinationem Ecclesiæ spargit, nullum diuinum cultum Iesu Christo tribui posse, præsertim inuocationis in precibus, eo quod nullum extet expressum mandatum, & quod nunc in cœlo non sit aduocatus, pontifex, & mediator noster, & quod otiosus nunc sedeat ad dextram patris Dei nec possit vocari Deus. Ecclesia ordinauit vt ipse scriberet & nos responderemus, & postea ferretur sententia, sed vereor interea ne eiiciatur ex regno, & in summa pereat, quoniã necesse est post has disputationes edi confessionem vnam, quæ nescio quem fructum feret, Deus sit nobis auxilio. Alba Iula. Et in alijs literis die 10. Ianuarij anno 80. Dominus Franciscus voluit calamo primum respondere Fausto, deinde Thesibus meis, summa eius doctrinæ fuit, sepeliendum esse Euangelium & reuertendum ad Mosen, ad legem, & ad circumcisionem, voluit pluries turbare regnum, & fieri nouator & rebellis regni publici mandati, dicebat tantum esse Iesum Christum, atq; Mariam virginem inuocare in precibus: Mosen & Mosis doctrinam esse lineam rectam, Christum autem Iesum & eius doctrinam indirectam. Itaq; Illustrissimus Princeps, cum ab æmulis D. Francisci, cum ego essem Varadini, ista intellexisset, iussit capi D. Franciscum & detineri in eius, in quibus habitabat ædibus. Deinde 1. Iunij duci Thordam ad Synodum, vt disputaretur, & inde Albam Iulam, die 1. Julij, vbi conuenerat totum regnum, & erat magna omnium frequentia, contentus erat ille stare iudicio Ecclesiæ Polonicæ, cum iuramento, & recantare si illa aliter decreuisset, verum tanquam nouator & turbator Regni, fuit condemnatus, & missus Deuam ad carcerem, vbi 15. Nouembris est mortuus, neq; credas me tam fuisse commotum, contra eum, propter Iesum Christum non inuocandum in precibus, quam propter impias eius appendices. Alba Iula. Ego in hac causa, quam in hac epistola, qui aliter descripsit contendat oportet, cum ijs qui scriptis hæc nunciarunt mihi & sunt posteris nunciaturi, vel iugulo proposito carnifici, in hac inquam causa controuertentiũ duorum

meorum

meorum amicorum, malo in corio deliteſcere D. Franciſci, quam omnes rerum felicitates poſsidere, intra quas verſari videtur D. Blandrata: Huic inquam calamitati meæ aduerſæ fortunæ, in qua etiamnum dego malo quicquid addi poteſt addi poſſe, à Deo patre quem ſpiritu meo vnicè vnum colo, quam paricidium addere. Adſero autem mortem D. Franciſci paricidium eſſe contagioſum, quod omnes ſuo tempore corripiet qui ei patrando dederunt, aut vires aut miniſterium, neq; puto has literas ſcriptas ad Polonicam Eccleſiam anno 1579. die 17. Iunij, vt eſt ſcriptū, damnato ſcilicet iam diu D. Franciſco fuiſſe nomine Tranſyl: Eccleſiæ miſſas: Quid? Nullus miniſter aderat qui ſubſciberet, præter hoſtem D. Franciſci, & vnum peregrinum ex Italia fugientem, his literis quæ communi Eccleſiæ nomine mitterentur? Quid? mihi illudent hi qui heri ſunt in Tranſyluania nati, mihi inquam illudent qui magno meo malo ductus, verbis & dictis, vt latine dicam & intelligar, multorum vidi vrbes & mores? Et gratias ago omnipotenti Deo, quod ei conſilio non interfuerim, in quo quamuis ſicut membrum aliquod eſſe debuiſſem, ſicut olim cum nondum ex facie notus eram omnibus, attamen, quod cauſa ſanguinis ageretur quod non interfuerim lætor. Adſero ego Magiſtratum geri poſſe, à Chriſtiano homine, adſero arma geri poſſe ad patriæ, penatum, larium defenſionem, ex animo, cū dicē coram Deo: adſero ſi Iudex eſſem, & ex officio cogerer, pacata conſcientia me poſſe, laude bonos cæde malos afficere, & cum hoc facerem, nullum peccatum me admittere opinarer, ſed cum his omnibus, ſi quis quæreret me ex lege Chriſtiana, de vincto religionis cauſa homine, quid ſtatuēdum eſſet, pro damnationis genere, me omnino ignorare literas profiterer, & non carere iudices itineribus ad mortem, in quæ contrudere poſſent reum, ſine meo conſilio, ſed Deus ita voluit, vt hi qui ſpirituales ſe eſſe prædicant, in hæc mala inciderint, quæ peiora ſunt quam carnem ſapere, magiſtratum gerere, & pro tutela patriæ & regni armis veſtiri. Inter omnia autem illud conſtat apud hos qui interfuerunt, & me qui ibi non aderam monuerunt. D. Franciſcum Dauidis ſe nulli hominum aut priuato aut publico in Polonia ſubmittere voluiſſe niſi ſacris Biblijs. Subieciſſet ſe D. Franciſcus, omnibus Academijs generalibus, in quibus ſolent eſſe viri graues & docti, ſi ei hiſcere poſtquam captus eſt licuiſſet. Norat enim doctrinam Eccleſiæ Polonicæ, quam Eccleſiam ſi torculari duriſsimo premeres totam, paucis exceptis quorum doctrina mihi perſpecta eſt, ſed nihil valent quod ſunt poſt prima & ſecunda ſubſellia, vix ex illa vniuerſa totum Abecedarium exprimeres. Quod indicat vel omnibus Academijs hoc ipſius Eccleſiæ ſcriptum, in cauſa D. Franciſci, ad quod nunc venio. Quanta autem con-

LVI/4

traditio sit in literis missis, & ad me & ad Ecclesiam Polonicam, notare poterit qui volet. Hoc vnum dicam, & in eo quod dico scio me non falli, si D. Blandrata adhæsisset D. Francisco, non ipse Dominus Franciscus, sed eius aduersarij damnati fuissent violatæ publicæ legis, tantum erat malum in Transylvania contradicere D. Blandratæ.

In epistola responsionis ad literas D. Blandratæ & Fausti hæc habentur Ecclesiæ nomine. Filius Dei impij magistratus authoritatem approbauit, quãuis se iniuste damnari videret ad ignominiosam mortem, Incertum autem mihi est quid sit, authoritas impij magistratus, & ejus magistratus qui omnem curam adhibuit, vt Iesus Christus dimitteretur. Et noto illud qui sacerdos & sacerdotes tradiderunt me tibi Pilato, maius peccatum habent, vt si impius est Pilatus, qui permisit fieri quod petebant Scribæ & Pharisæi, magis impij sunt iudicandi qui clamabant, crucifige eum, crucifige eum, nos legem habemus, tametsi tu hanc legem non habeas, & secundum legem nostram, occidi & crucifigi abs te debet. In maiori igitur est crimine, qui dat, iudicat, offert, sua sententia ad mortem aliquem, quam qui fert capitalem contra aliquem sententiam. Sed cur impius dicatur Magistratus quæro. Ob id ne quod Pilatus non esset Christianus, an ex eo quod Magistratus ipse reddat hominem impium? Mihi videtur, in hominem sententiam ferre, in ea re quæ ducit hominem & mox ductura est ad mortem, maius esse bonum si est bonum, malum si est malum, quam Magistratum gerere, sed curnam ignominiosam vocat crucis mortem? Ego pro demonstratione habeo, quod Iesus Christus nec fuerit præputiatus, sed ex semine Abrahami, nec ciuis Romanus, quod non liceret Romanos ciues in crucem tollere. Extabant quoq; eo seculo crudeliora mortis genera, apud Iudæos & Romanos, quam crucis supplicium, & ignominiosius erat insui in culeum quam furcæ figi, vnde & parricidis illud, hoc commune multis erat mortis genus. Sed ista ex Papa hausta venerunt ad nos, Recitatur deinde argumentum Domini Francisci, quod tanquam rem leuem & bullam inflatam, hæc Epistola proijcit huc atq; illuc, & est. Illud à Christiano homine credendum, & seruandum non est, quod in sacris Bibliis nec explicatis, nec contectis verbis, à Deo patre seu Iesu Christo dictis, aut alijs exemplis est mandatum: Sed de inuocando Iesu Christo in precibus, si verus Deus non est, nec explicatis, nec cõtectis verbis, dicto aut exemplo aliquid mandatum à Deo patre, aut Iesu Christo, & Apostolis est: Ergo inuocatio Iesu Christi in precibus seruanda non est, neq; seruari posse sine crimine est credendum. Verum est autem quod hic notauit Ecclesia, mirum quiddam esse quod cum narretur in Epistola Transylua-

nica,

nica, ſemel & iterum D. Franciſcum Dauidis, bis reſpondiſſe, bis iuraſſe, ſe ſtare velle iudicio Eccleſiæ Polonicæ, nullæ tamen literæ in tanto negotio, vbi nullus eſſet futurus qui credere vellet Domino Bland. & Fauſto, ſint ſcriptæ, aut curatum vt ſcriberentur à D. Franciſco. Accedit huic opinioni quod in damnatum & iam agentem animam D. Franciſcum quæruntur iudicia, non ad abſoluendum iam irremedicabiliter condemnatum, ſed vt ſcelus ſocios haberet.

Sunt, inquit Eccleſia Polonica in ſuo ſcripto, qui nihil aliud ſignificari putent, inuocationis voce, quam nomine alicuius cognominari, vtputa, Cæſariani, Pompeiani, Chriſtiani. Non ita eſt Domini, ſed dicimus vocem Epikaliſthæ, nunc eſſe cognominis, vt Petrus epikalitæ Actor. 10. nunc adiurationis, vt teſtem Epikalumę 2. Cor. 1. nunc conceptarum precum ad numen inuiſum quod poteſt orantes exaudire, vt quicunq; nomen Domini Epikaleſetæ Rom. 10. Hanc ob cauſam dicimus, ob nominis vnitatem, vt fit in homonymis, non poſſe fieri collectionis deſcenſum, ad vnum, ex pluribus, nominis ſignificatum, vtputa, vox Epikaliſthæ ſignificat nonnunquam inuocationem in precibus, Ergo Iēſus Chriſtus eſt inuocandus in precibus, quoniam ſcriptum eſt, cū omnibus epikalumenis, nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, 1. Cor. 1. Hoc cauillum (dicitur in ſcripto) tollitur à Paulo, cum ſcribit 2. Tim. 2. Diſcedat ab iniquitate ho onomazon nomē Domini noſtri Ieſu Chriſti, hoc eſt, qui ſe iactat eſſe Chriſti. Alter verſus habet, ſectare iuſtitiam, cum his qui inuocant Dominum ex puro corde, epikalumenon, & Rom. 12. parakalo, hoc eſt, precor. Ex his quiſq; contentiones fugiens, colliget Epikalein, Parakalein, Onomazein, ſecundum ſacræ Scripturæ vſum & ſenſum, nihil aliud eſſe quam precari & petere. Hæc Eccleſia Polonica dicit, in qua iudicium deſidero & oculos, quod cum videat conſecutionem falſam eſſe, putet tamen ſe perſuaſiſſe. Quid enim eſt nominare Ieſum Chriſtum: eſt Chriſti Eccleſiæ membrum vocari, onomazein. Paulus rogat Romanos, Corinthios & alios, parakali, imitandi ſunt illi qui inuocant Dominum ex puro corde, Ergo cauillum eſt ſublatum, quod epikaliſthæ non ſolum ſit cognominari, ſed notet etiam precari, Ergo Ieſus Chriſtus eſt inuocandus in precibus.

Ad hanc enim ſummam colligendam, totus fit iſte apparatus verborum, ſicut autem epikaliſthæ, ita & Kyrios, non vnam habet notationem, quod apertiſsime demonſtrat illud, dixit Dominus Domino meo, Kyrios Kyrio. Sed forſan decepit vos ò Domini Caluinus, & ita fit, cum conſilium non habetur, cum Prophetis & Apoſtolis ex Spiritu ſancto loquentibus, ſed cum hominibus ſpi-

LVII/6

ritu humano, & ex his quæ deliderarẽt esse differentibus. Dicit deinde Vitrelinus: Inuocare est adorare, est petere, est supplicare, interpellari, precari, orare, implorare Deum, eiusq; auxilium, seruire, colere, intercedere, Quid deinde? Et hæc verba omnia idem significant an multa? Si multa, vbi exempla, si quis esset qui negaret, ita esse sicut dicitis? Si idem significant, quid opus tanto verborum syrmate ex vocabularijs, cum vis verbi Græci, multorum latinorum verborum recitatione, explanatur? Iacet igitur ista pars, & iacebit quoad firmata fuerit, firmis roboribus exemplorum, ex sacris Scriptis in quibus sumus, recitatorum, & non ex vocabulario aliquo, collectorum, verissimum autem est quod sequitur.

Impium est adorationẽ & cultum diuinum, alio transferre, quàm quo à Deo sunt destinata, testibus Mose & Iesu Christo dicentibus, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies, & teste Paulo hic, qui Dominum ex puro corde inuocant. Igitur sit pactum & cõuentum inter nos, adorationẽ, cultum, qui dicitur seruitus & latria, & inuocationem ex puro corde, alio sine scelere transferri non posse, quã quo à lege Dei, à Prophetis, à Iesu Christo, ab Apostolis, ab ipso Deo vero sunt destinata, & finita est lis & tota controuertendi ratio, & huc tanquam ad scopum sunt omnia quæ sequuntur argumenta dirigenda cauendumq; ne quid labis hoc epiphonema ab argumentorum vitijs & maculis recipiat, & ego plane ad tam gratam & sanctam acclamationem & disputationis siue initium siue summam, expectabam à vobis ô Domini adferri oportere leges, quæ essent iudices diuinæ voluntatis, quo scilicet esset dirigenda inuocatio, & video mihi offerri carbones. Tria inquit liber requiruntur ad inuocationis rationem. Vnde habentur rogo ista tria, potius quam duo aut quatuor, aut plura quatuor? Sint centũ, quæ requiruntur, nisi demonstraueris à Deo patre inuocationem in precibus ordinatam fuisse, vt ad Iesum Christum sedentem ad dextram Dei in cœlo dirigeretur, vanam collocasti in hac tota scriptione operam, sed audiamus. Statuendum est, inquit, illum qui inuocatur exaudire nos, curare nostra, scire quid nobiscũ agatur. Suapte natura scilicet & virtute, nã reuelante Deo, quicquid est in cœlo potest nostra audire, curare, intelligere, nosse, aliter minime. Cum aperuisset inquit sigillũ cap. 6. Apo: quintũ vidi subter altare animas interfectorum, propter verbum Dei & propter testimoniũ quod habebant, vidi plane inquit, sed non prius videre poterã, nisi postquã apertum fuisset quintũ sigillum. Necq; enim alios omnium eorum qui sunt in cœlo agnoscere possumus pro patribus, matribus, quæ nomina inter homines maximæ sunt dilectionis, quę ad inuocandã opẽ stimulat nisi vnũ & solũ Deũ, qui solus

curat,

curat, nouit & audit noſtra, & aliꝭ ſi vult, quando vult, vt audiant, vt curent, vt norint, permittit ex beneplacito ſuę voluntatis. Alterũ, inquit Eccleſia Polonica, ꝙ requiritur in eo qui eſt inuocandus, eſt certitudo de voluntate illius qui exaudire velit. Hoc Papiſticũ eſt & falſum. Quis .n. vnquã ſanctorũ hominum imitatus Ieſum Chriſtũ, in precibus diceret, nõ tamẽ mea ſed tua voluntas fiat, ſi accedere ad precandũ non deberet, nſi certus de voluntate diuina ꝙ velit inuocantẽ exaudire? Scimus quidẽ nos ſemper à Deo patre exaudiri, quoniã addimus inuocantes, nolumus abs te pater æterne aliquid ex hís quæ petimus niſi ſit voluntas tua quæ ſtudet gloriæ tuæ, attamẽ incertí ſumus an volũtas noſtra, cũ à Deo petimus aliquid, cõſonet cũ voluntate Dei, & ob cã cauſam dicimus, fiat voluntas tua, quoniã nollemus exaudiri aut ſicut Diabolus Iob 1. aut ſicut filiꝭ Zebedæi, qui quid peterent neſciebãt Mat. 20. Aut ſicut hí qui dati in reprobũ ſenſum, dimiſſí ſunt vt pro arbitratu ſuo agerent, quæ mala cõcupiſcentia ſuggerebat, Ro. 1. Hanc ob cauſam cũ dixiſſet Paulus Ro. 8. nos ignorare quæ eſſent petenda à Deo, & vellet declarare nos ſemper exaudiri à patre Deo ait, ſcrutator aũt cordiũ, hoc eſt Deus pater, nouit quid petat ſanctus Spiritus ꝓ ſanctis. Purgatas .n. preces noſtras ab omni labe humanorũ deſideriorum quæ ſæpe ſunt & aliena & contraria voluntati patris Dei, imponit acerræ & incenſas interpellatione ſua, ex officio offert ante conſpectum Dei patris quod nos ita fieri velimus, cum dicimus fiat voluntas tua. Quæ citantur ex prima Ioannis 5. Roman. 12. non adiuuant propoſitum ſcriptionis huius. Dicit enim hæc eſt fiducia, quam habemus apud eum, patrem ſcilicet Deum, quod ſi quid petierimus eum inuocando in precibus ſecundum voluntatem eius, audit nos, & ſi ſcimus quod audit nos, quicquid petierimus ſecundũ voluntatem eius, ſcimus ꝙ habemus impetratas iamdudũ petitiones quas poſtulabimus ab eo patre ſcilicet Deo. Nullius igitur voluntas eſt quærenda cꝫ Dei patris, vnde in inuocationibus noſtris quas Spiritus ſanctus ante ſolum Deũ patrem offert, dicit Ieſus Chriſtus addendum eſſe voluntati ſolius Dei patris deſiderium noſtrum, dicendo, fiat tamen voluntas tua, non autem voluntas noſtra. Et hæc obſeruatio ſcripti huius tale peperit argumentum pro Domino Franciſco. Ille ſolus eſt inuocandus in precibus, cuius ſolius voluntas moderatur inuocationis noſtræ preces: Sed ſolius voluntas patris Dei, moderatur noſtras in precibus inuocationes. Ergo ſolus pater eſt in precibus inuocandus. Tertium eſt, inquit Vitrelinus, perſuaſio, quod is qui inuocandus eſt in precibus poſsit quod petitur (ex ſe præſtare) quoniam ex alio impetratum alij concedere poteſt, vel Diabolus ipſe, vtputa de ſuſcipiendo bello, quod de-

LVIII/6

siderabat Achabus 3. Reg. 22. Sunt igitur necessaria in eo qui inuocandus est in precibus, vt audiat, sciat, curet nostra, velitq; & possit pro proprio suo arbitratu nobis sua sponte & virtute succurrere. Hæc autem Deo patri conuenire vni & soli, nostra sacra vndiq; clamant. Addit liber quartum, ad voluntatem, potentiam & scientiam, notitiam sc. discernendi inter bonum & malum, ne det nescius, malum, ex eo quod petitur, pro bono, & lapidem pro pane, quamuis norit precantium desideria. Adde quintum vt non solum possit dare, verum etiam, vt non impediatur ne is accipiat cui dare sua bona cupit. Princeps inquit regis Persarum obstitit mihi Dan. 10. Deus autem, dicam, inquit, Aquiloni da & Austro ne prohibeas.

Argumentum primum. Nos inquit Ecclesia Polonica, à Spiritu sancto edocti, non dubitaremus Iesum in cunis vagientem, cum Magis adorare: & in cruce pendentem cum latrone precari, multo magis nunc in dextera Dei sedentem, & semper in honoribus summis viuentem, inuocandum esse dicimus. Probatur consecutio falsa: Si cum inimici essemus, inquit Paulus, sumus Deo patri reconciliati, per mortem Iesu Christi, & iustificati per sanguinem eius, ergo per vitam eius magis seruabimur ab ira futura, Rom. 5. Ergo Iesus Christus inuocandus est in precibus sedens ad dexteram Dei.

Responsio. Rogo vos fratres mei qui hæc curastis scribi in causa sanguinis pro sententia qua mox aut trucidandus aut grauandus erat frater, ne exponatis tam facile inscitiam vestram ludibrio. Videtis ne à vobis nihil probari, & consecutionem vtramq; ægre fluere, & deduci posse? Videtis à vobis per D. Franciscum quæri loca, ex quibus Spiritus sanctus vos edocuit, Iesum Christum hominem in cœlis viuentem esse inuocandum in precibus, & vos verba iam per multas chartas dare? Videtis nos quærere secundum Epiphonematis vestri legem, vbinam Deus pater instituerit preces mortalium, ad alium eorum qui in cœlis sunt præterquam ad se solum & vnum esse dirigendas? & vos dicere nos non dubitaremus ad Iesum Christum clamare edocti à Spiritu sancto? Vbinam rogo edocuit vos Spiritus sanctus, preces mortalium ad alium quam ad Deum patrem, à se esse deferendas secundum quod est ei mandatum? Nonne falsi testes esse deprehendimini in Spiritum sanctum, dicentes, eum vos docuisse, qui nunquam vos docuit? Nonne de vobis illud posse dici videtis, non eos mittebam, & ipsi currebant dicentes populo, hæc Dominus dixit quæ ego non dixi: Hier. 23? Contra consecutionem primam. Magi adorauerunt Iesum Christum in cunis nondum declaratum à Deo patre regem nisi designatione & vt Petrus dicit prognosi. Verum est, sed Salomon matrem adorauit 3. Reg. 2. &

Apostoli

Apoſtoli Ieſum Chriſtum Matth. 28. Quoniam non omnis adoratio eſt inuocatio cum precibus, quamuis nulla ſit precum inuocatio ſine adoratione. Et aliud eſt præſentes rogare, quod eſt fiduciæ humanæ inter homines. Orate inuicem alius pro alio Iac. 5. Et latro, memineris Domine mei cum veneris in regnũ tuum. Lucæ 23. & Ioſeph ad Principem pincernarum, ſi recordatus fueris mei apud te cum bene fuerit tibi, facies obſecro mecum miſericordiam, & fac mei mentionem apud Pharaonem Gen. 40. Et aliud eſt inuiſa numina ad auxilium vocare, quod eſt diuinitatis.

Cum igitur alia ſit ratio precum inter viuos, qui ſunt ante oculos & videntur, quiq; & adorati ſæpe pro honore, & rogati pro ſpe leguntur, vt Ieſus Chriſtus à multis & Romani à Paulo, & alij ab alijs, quod multum valeat ſupplex iuſtorum hominum oratio apud Deum patrem, ab hoc aut illo propoſita: Et alia inter viuos & Deum immortalem, nunquam ab aliquo mortalium viſum, qui ſolus & vnus omni tempore, à Ieſu Chriſto, Apoſtolis, Prophetis, in cœlo, in terra, nunquam non eſt adoratus, cultus & inuocatus, falſa deprehenditur eſſe conſecutio prima. Secunda quoq; conſecutio falſa eſt, & nihil probat eorum, pro quorum firmitate eſt propoſita, nam loca citata non differunt de inuocatione in precibus quæ eſt eorum, qui ſunt membra Eccleſiæ, quorum preces habent promiſſionem. Inuocabit inquit me altiſſimum (Deum patrem) & ego exaudiam eum Pſalm. 90. Sed de reconciliatione præputiatorum quæ contigit poſt mortem grani frumenti, quod multum fructum attulit, & aperto oſtio fidei in complexum Dei deduxit omnes gentes, veluti nouos Agricolas, & collocauit intra tabernaculum altiſſimi, vt eſſe poſſent, ſine circumciſione Eccleſiæ membra. Si, inquit, cum nobis præputiatis aduerſaretur Deus & ei eſſemus hoſtes, quod in præputio viueremus, poſt mortem Ieſu Chriſti reconciliati ſumus ipſi patri Deo, quomodo non amici facti, & bonorum, ad quæ adiit poſt reſurrectionem ſuam, & porro poſt vltimam reſurrectionem mortuorum aditurus eſt Ieſus Chriſtus, erimus participes, & euademus, etiamſi non ſimus circumciſi, ab ira futura, & ſeruabimur? Loquuntur autem iſtiuſmodi loca omnia de fide, virtute fidei, & hæreditate fidei, fidei inquam, quod Ieſus ſit Chriſtus, & non de inuocationis in precibus ratione, cuinam noſtræ preces exponendæ ſint, multis ne an vni, Deone patri ſoli, an etiam Ieſu Chriſto, niſi forte ad incrementum dilectionis & amoris confugiendum eſt, vt cogamur ſanctos mortuos inuocare, quoniam in illis maior eſt & ſyncerior charitas erga nos poſtquam ſunt in cœlo, quam cum inter nos viuerent, quod fieri non debere omnia ſacra ſcripta declarant. Nam videmus & legimus, Ieſum Chriſtum & Apoſtolos hæc omnia quæ de Ieſu Chriſto & Sanctis in cœlo ſunt ſcripta, optime nouiſſe, nunquam tamen, ex mortuis & inuiſis aliquem in precibus inuocaſſe, quam patrem Deum. Suffundor autem pudore cum ſequentia lego, & quidem à vobis in cauſa ſanguinis cum videretis veſtræ ſententiæ obſecuturos iudices, pronunciata.

Argumentum ſecundum, Eſaias ita dixit cap. 9. Paruulus filius datus eſt nobis, vocabitur

nomen eius pater æternitatis, Zelus Domini faciet hoc. Caput 11. Super radicem Iesse requiescet spiritus Domini. Ioan 2. non habebat opus, vt quis illum doceret de homine quod optime sciret quid esset in homine: scimus quod omnia nosti, & hoc scimus quod à Deo veneris: Domine tu scis omnia, cap. 16. cap. 21. Ergo Iesus Christus habebat scientiam omnium, & erat amans hominum, habens imperium super humeros suos nunquam finiendum.

Responsio. Hæc omnia in causa in qua sumus, nihil nocent, in citatis enim locis aduersarij multa includunt falsa. Sed illud quod mox sequitur, Quis iam quæso dubitabit tanto heroi, in tantam sublimitatem euecto, à Zelo seu dilectione Iehouæ, esse supplex? Hoc inquam, quonam torqueatur Oedipus dixerit. Nam cum credamus illa, omnia subiecisti sub pedibus eius, & nondum videmus ei subiecta esse omnia. Heb. 2. quomodo dubitaremus supplices esse in honore deferendo regio, tanto heroi, qui nos numeramus inter eos, qui iam sunt Iesu Christo subiecti? Sint alij qui porro sunt Iesu Christo subijciendi, certo nos inter eos censemur, qui sub regno Iesu Christi viuere gloriantur.

Sed hæc quid ad inuocationem in precibus? Falsa autem continet in se propositio argumenti, quoniam nullus veterum Prophetarum de Iesu filio Mariæ quicquam nominatim prophetauit, omnia autem quæ ab illis pronunciata sunt fore, ad munus Christi pertinent. Quod munus ita Iesu commendatum est, vt à Deo patre potuerit, cuiuis Hebræo homini ex stirpe Dauidis orto commendari. Ita enim Iesus declaratus est à Deo patre Christus, vt potuerit eo munere fungi, si ita Deo patri visum fuisset, & Petrus, & Paulus si à Dauide fuissent orti & quiuis alius Iudæus gentis Abrahamicæ & Dauidici generis. Neque est scriptum vocatum iri paruulum illum, patrem æternitatis seu æternum patrem, quod est cognomen solius Dei, sed quod Deus pater æternus, esset paruulo inditurus nomen, hoc est, tot victorias largiturus, vt cognomine raro concesso hominibus esset compellandus, qua de re alibi satis est dictum. Hæc autem siue sensum, siue verba consideres, omnia sunt aliena ab inuocatione in precibus. Nunc (inquit Ecclesia Polonica) ad nouum Testamentum veniamus, contenta scilicet his quæ adhuc citauit, ex vetere sacro scripto, quæ vt fuerunt sicut sunt omnia Sacrosanctæ authoritatis, ita extra propositum scopum erant directa omnia, vt eo miserior causa necis D. Francisci videri debeat, quod tales sortita est iudices, quales hoc scriptum describit, neq; renuo mori, nisi tale iudicium, latura sit posteritas, cum omnibus Academiarum subsellijs de his scriptoribus quale ego fero, quam possum modestißime.

Argumentum tertium, Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, Iesu Christi, tanquam vnigeniti à patre, hoc est, regis summi gloriam, pleni gratia & veritate, ex cuius plenitudine nos omnes accepimus, gratiam pro gratia, sicut olim iudices 72 acceperant de spiritu Mosis, Num. 11. & sicut Elisæus accepit spiritum Eliæ duplicem 4. Reg. 2. Deum nemo vidit vnquam vnigenitus filius, & primogenitus Iesus Christus qui est, nunc cum hoc

scribo,

ſcribo, *in ſinu patris, ad dexteram eius ſedens, ipſe nobis hoc enarrauit. Vidi, inquit Ioannes ſpiritum* Dei *deſcendentem ſuper Ieſum & manentem ſuper eum*, vt ego eum quod eſſet Chriſtus & rex Iſraelis declaratus agnoſcere poſſem. *Et Nathanael, cũ ei dixiſſet Ieſus, vidi te ſub ficu dixit, eum eſſe filium* Dei, id eſt, regem Iſraelis. *Ioan. 5. is quem miſit Deus Ieſus Chriſtus verba* Dei *loquitur. Ei Deus non dedit ad menſuram ſpiritum. Pater diligit filium & omnia dedit ei in manus*, quæ pertinent ad regnum, *Matth. 11.* Omnia *mihi ſunt tradita, à patre meo & nemo nouit filium niſi pater*, qui ſolus declarauit Ieſum eſſe filium, *neque patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Ioan. 5. ſicut pater habet vitam in ſemetipſo, ita dedit & filio vitam habere in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei vt iudicet. Matthæi 9. videt cogitationes hominum, & alia multa ſunt ſcripta quæ prætermittuntur conſulto* verbi gratia, ex omnibus 4. Euangeliſtis & Epiſtolis Apoſtolicis, quæ ſcilicet ad Ieſu Chriſti declarati in regem, magnitudinem, ſplendorem, & maieſtatem ſignificandam faciunt: Ergo *ſatis euidenter probatum eſt Ieſum Chriſtum, nunc ſedentem ad dexteram patris* Dei *in cœlo ſcire omnia, quæ ad noſtri curam pertinent.*

Reſponſio. In hac ratione falſa eſt conſecutio & eſt aliena à propoſito. Adminiſtratio enim regnorum ad vnum & ſolum verum Deum *pertinet, pertinuit ſemper, & pertinebit, & in hoc orbe in quo viuimius mortales, ad eos pertinet, quibus Deus hoc miniſterium detulit, vt excellerent alijs, & aliorum ſaluti ſtuderent, & per eorum operam regna ſua curaret. His autem & huiuſmodi miniſtris, quos reges dicimus*, Deus *alijs magnum, alijs paruum, alijs mediocre conceſſit regnum, vt ſunt regna aut ampla aut minus ampla. Et Ieſum Chriſtum quidem miniſtrum excitauit* Deus, *ad regnum Iſraelis gubernandum, viribus olim florens, ſed agro in Palæſtina non adeo magnum: verum cum non fuiſſet receptus, ſed indigniſſime tractatus, & tandem occiſus à Iudæis, declaratus fuit à* Deo *ex reſurrectione mortuorum, filius* Dei *in potentia, datáq; eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Sed hi honores à* Deo *patre conceſſi Ieſu Chriſto, non priuare debent Deum patrem regnó ſuo in quod Ieſum Chriſtum præpoſuit*, Et Dauid *quidem, & ante Dauidem Moſes, & poſt Dauidem Cyrus & alij, & tandem Ieſus Chriſtus, & Chriſti & curatores populi* Dei *fuerunt, quoad vixerunt & per eos* Deus *pater veluti per Elohim viſibiles, inuiſibilis ipſe, populum ſuum gubernauit, ſed hæc encomia reuera illos ornantia, & in altas honorum ſublimitates euehentia, facere non poſſunt vt poſt mortem affirmari poſsit, illos horum regnorum quibus olim præfuerunt viui, nunc mortuos nobis ſed viuos in manu* Dei, *curam gerere & ea adminiſtrare. Non valet igitur niſi apud eos qui ſibi placent conſecutio, ſi dicas*, Dauid *viuus curabat & monitus ſciebat, quæ ad regni ſui ſalutem pertinebant, multi Prophetæ arcanas hominum deliberationes, cum viuerent, edocti à Deo, norant.*

Ergo

Ergo Dauid nunc in cœlo curat Israeliticum regnum. Ergo Prophetæ, Elias, Eliseus, Nathan, & alij, norunt nunc in cœlo cogitationes mortalium. Et dicunt quidem nostra Euangelia, quæ exoſculamur Iesu Christo, magnificentius regnum & dotes regias, donata fuisse à Deo patre, sed & magnificentia regni declarati esse in eo, quod Iesus filius Dauidis, Dauidis patris Dominus est dictus, & dotes regni Iesu Christi apertis verbis scribuntur, & nobis Lex est circumpositа quæ non permittit à scriptore aut verbis, ad non scriptum re aut verbis, deducere nostras cogitationes. Est autem huius partis hoc argumentum. Ille solus habet ex cœlestibus nostri curam, qui solus orandus esse dicitur, in nostris indigentijs, & extra quem nullus alius rogatus aliquando est, & de quo scribuntur ista, reijcite omnem vestram sollicitudinem in eum, quia ipsi (patri Deo) cura est de vobis, 1. Pet. 5. 1. Cor. 9. Sed solus pater Deus ex cœlestibus orandus esse dicitur, Matt. 6. Luc. 11. Ioan. 13. & extra eum nullus vnquam ex inuisibilibus quantumuis sanctis spiritibus, fuit aliquando sacra prece rogatus: Ergo solus pater Deus, est nostri & nostrarum rerum omnium ex omnibus qui in cœlo sunt inuisis spiritibus, & hominibus curator. Tantum autem credi debet scire de rebus humanis Iesus Christus, quantum Deus pater dat illi vt sciat, sed & scientia sola non satis vrgens causa est, vt concludat curationem, quod videmus curam à scientia separari, & multos esse qui sciant qui tamen curare non possunt id vt fiat, quod sciunt. Quare cupienti concludere, nostri curam haberi à Iesu Christo, non satis est dicere in Iesu Christo esse scientiam omnium rerum, thesauros sapientiæ diuinæ, sed necesse est ostendere, Iesu Christo post mortem, demandatam esse totius Ecclesiæ curam à patre Deo solo curatore à natura, rerum omnium. Sed neq; à cura inferri inuocatio in sacris precibus potest, quod videmus factum in his regibus, qui damnati sunt ab omnibus seculis, quod inuocari se in precibus permiserunt, quod cura populi magni parui fuisset illis à Deo demandata. Sed & illa verba notanda sunt, sede ad dexteram meam, donec ponam hostes tuos nondum tibi subiectos, scabellum pedum tuorum. Ego inquam ponam, ego curabo, vt ponantur, te sedente ad dexteram meam, & finis erit cum Iesus Christus tradiderit regnum Deo & patri, 1. Cor. 15. Et acceperat à Deo patre gloriam & honorem regium, tum cum vox est delapsa de cœlo ad eum à magnifica gloria, tu es filius meus, 2. Pet. 1. Accipiet inquit regnum & reddet, interea regnabit sine successore, interea, inquit, dum regnum quod dedi tibi, nondum re possides, sed tantum potentia, propterea quod Hebræi & gentes, non egerint pœnitentiam regno tuo dignam, sede tu & fruere bonis, ego habebo curam regni tui, quoad omnia tibi fuerint subiecta, & audientia, id est, donec re ipsa fias rex, sicut contigit Dauidi de quo ita legitur, factum est vt rex sederet in regno suo, deditq; illi Dominus requiem, per circuitum ab vniuersis inimicis eius, 2. Reg. 7. Sed & alia multa indicant, rerum omnium quæ sunt in hoc orbe, & regni Iesu Christi, & regni vniuersitatis rerum omnium, curatorem esse vnum & solum patrem Deum. Neq; enim nostrum est dare, nec Iesus Christus desiderat à nobis sibi dari quæ Deus pater non dedit, aut dedit quidem & scriptum non est, datum fuisse aut acceptum.

Neq;

Neq; ita erigere Iesum Christum debemus extra Scripturæ sacræ narrationes, vt patrem Deum deprimamus, aut dare ei curam nostri, ne sicut quidam inuerecundè scripserunt, videatur stertere, vt vna consequentiæ ratione Deus pater stertere dicatur, quod curam amplius earum rerum non habeat; quibus curatorem sicut illi putant dedit Iesum Christum. Satis nobis sit nosse, vnum esse Deum natura & persona, Iesum esse Christum, in quibus esse narratur apertis verbis fidei nostræ hæreditas quantum ad ius, & legibus Dei virtutis & vitij esse parendum, in quarum obseruatione consistit tota iustitia operum, quæ tendit ad hæreditatis æternæ possessionem, quæ iustitia nos maximopere commendat patri Deo, cui seruire, est optimo iure regnare in regno Iesu Christi. Præter hæ[illegible]

tione vel explicite sicut dicitur vel implicite [illegible]

titia in altero orbe seruatur. Cur nos [illegible]

tri, vt patefaceret non est risum.

Videte vos rogo [illegible]

bris fuisse animadue[illegible] Dij non erant repudiatos, & miseriam seculorum superiorum deploratam, nunc inuocationem in precibus partiri conatur in duo, vt cum duos Deos nomine adorare nolimus, reipsa velimus nolimus, duos Deos adorare, accusante lege Dei ante iudicem patrem Deum, conuincamur. Peruestigate diligenter sacras leges, hoc inuenietis, Deum patrem multo magis iratum fuisse suo dilecto populo, cum plures Deos inuocaret in precibus, quam cum plures adoraret prostratus. Et illud durissimum est, Deum patrem non inuocauerunt Psalm. 13. Effunde iram tuam in gentes, quæ nomen tuum non inuocant, Psalm. 79. Atq; audio vestrum effugium. Cum inuocamus, inquitis, in precibus Iesum Christum, Deum ipsum patrem inuocamus, Deus enim pater hoc fieri mandauit. Vbi nam rogo fratres? Quo iure hoc fit? quid fingimus, & de nostro corio argutamus? quis vnquam plures adorauit, coluit, & inuocauit Deos, qui non statuerit apud animum suum, esse vnum principem ex cuius mandato diceret se colere, adorare omnes alios? Nonne satius est ista somnia reijcere, & exemplo & dicto Iesu Christi & Apostolorum regere sine periculo vitam, quam incerta & dubia, cum pernicie æterna consectari, & disquirere? Non solum autem consecutio vestri argumenti falsa est & inanis sicut diximus, verumetiam in antecedente sunt errata non ferenda vobis & despuenda ab hostibus. Nonne adhuc cernere non videmini potuisse, Principem Senatus vestri & esse indoctum & in hoc sento omnino ad istas Lyras penitioris doctrinæ ineptum, cum sine examine eius dictata concipitis, & vulgo in lucem editis? Nam dat vitam hominibus pater Deus ex authoritate, tanquam fons liberalissimus viuens, & cum iudicio cuncta regens, dicetisne hoc de Iesu Christo, qui non dat vitam nisi impetratam à patre Deo, credentibus se esse Christum, per fidem scilicet? Nam statuit Deus pater non alijs se dare velle vitam, nisi qui Iesum esse Christum credidissent, vt obstrueretur omne os hominum qui Iesum pro Christo recipere noluerunt. Est ne idem iuris in vita in patre Deo qui

ita voluit, & in Iesu Christo ob id quod propter fidem quæ in eum est pater Deus donat vitam? Dicetisne Iesum Christum esse scrutatorem humanorum cordium, nunc in cœlo viuentem, ob eam causam quod monitus à Deo viuo, cum viueret inter homines intelligeret hominum iniquas cogitationes? Et illud, scimus quod noueris omnia (quæ scilicet possumus te interrogare) quomodo potestis ad omnia simpliciter sine fine ampliare? Et, quomodo ex vno dono Dei de quo legitis, donatum esse Iesu Christo, deuolare potestis ad aliud donum, ita donum vt nunquã legatur concessum fuisse aliquando alicui, ex cœlestibus incolis? Et quis narrare posset huius antecedentis lubricos ductus, & inconsistentes Meandros? Quid illud quod dies carnis Iesu Christi, Hebræ. 3. interpretatur cum Papistis, tempus quo vixit cum hominibus factus homo, & non cum Paulo tempus quo per mortem desinit viuere inter homines, factus caro intra Hierosolymitanum Caldarium? Et quis fingit Iesum Christum detineri veluti vinculis cœlo, nullam curam apud patrem Deum Ecclesiæ habere? Quid calumnijs agitis imitati Papistas cõtra Lutheranos, Lutheranos contra Caluinianos, Caluinianos contra nostros, & in ea causa in qua sedistis pro sanguine hominis, & non vulgaris hominis qui tum clamauit, nunc primum perij, nunc primum fata vocant me, cum audiui quod alius vidit, & audiuisse & vidisse fuit vtriq; pernitiosum, mihi carcere & morte illi exilio & irreconciliabili odio, mihi ob vnum, illi ob alterum ab illo violatum sexum? Nam parietes clamant quod septa lapidum tegunt.

Argumentum quartum. Iesus Christus quoad uixit suorum curam habuit, quam curam rediuiuus illico recepit, & discipulos arguit incredulitatis, eos monet de aduẽtu Spiritus sancti, illi parent, Matthiam in locum Iudæ substituunt: Iesus Christus acceptum à patre & precibus impetratum Spiritum sanctum qui erat alter paracletus, & directurus erat Apostolos in omnem veritatem misit in mundum: Ergo qui non credit Iesum Christum curare mortales ad suum regnum pertinentes est maxime temerarius.

Responsio. Falsa est consecutio, & temere deducta eo maxime quod illidatur in sacra Scripta, illa, Dabitur vobis à patre Deo, alius quam ego Paracletus, qui vobiscum erit in æternum, & deducet vos in omnem veritatem, nam ego vado ad patrem Deum: Qui Spiritu Dei sancto aguntur hi filij Dei sunt: Pater cum essem cum eis seruabam eos, nunc ego ad te venio, serua tu quos dedisti mihi. Ex quibus & alijs similibus verbis dissoluitur consecutio ab antecedente, cum quo non nisi contra veritatem connecti potest, & huiusmodi offert vobis rimandum argumentum. Per tempora illa duo, prius quidem cum Iesus Christus seruabat cum patre Deo suam Ecclesiam, & Ecclesia nullo habebat opus alio paracleto, quam Iesu Christo, qui deduceret eam in omnem veritatem, posterius vero, cum dixit tu pater Deus serua eos posthac, quos ego ad hunc vsq; diem seruaui, quoniam ego ad te pater Deus venio, & veniet qui succedet mihi alius quam ego sim Paracletus qui deducet vos in omnem veritatem, quoniam vobiscum erit, & inter vos in æternum erit, quoniam ego semper vobiscum non sum mansurus, significatur cura habita à Iesu Christo vna cum patre Deo, & postea non habenda à Iesu Christo, sed à patre

Deo

Deo per Spiritum ſanctum in hoc orbe, Ergo cum vtraq; pars huius antecedentis duorum temporum apertis verbis ſcribatur à noſtris ſcriptoribus indubitatæ fidei, dicendum eſt, Ieſum Chriſtum, per quem viuentem hic in terris Deus pater curabat Eccleſiam ſuam, quæ eſt Eccleſia Ieſu Chriſti, cũ mortuus fuiſſet & ſediſſet ad dexteram Dei patris, curam totam Eccleſiæ ſuæ reliquiſſe Deo patri, quoad omnes aduerſarij, & ſui & Eccleſiæ ſuæ, curatione patris Dei ſubdantur ſub pedibus eius.

Argumentum quintum. Deus ad glorificandum filium ſuum Ieſum Chriſtum, poſtquam aſcendiſſet iſte cœlos, quod nulli filio Dei (hoc eſt, regi Iſrael) contigit, miſit Spiritum ſanctum, ſanauit ægros, ſuſcitauit mortuos, Stephanus Spiritu ſancto plenus ei ſpiritum ſuum commendauit, abs quo accepit. Saul à Ieſu Chriſto reprehenditur & proſtratus in terram audit, quid me perſequeris? Ergo Ieſus Chriſtus in dextera Dei patri ſedens, non eſt morti obnoxius ſed viuit & regnat, vt ſibi fidentes adiuuet apud patrem Deum.

Reſponſio. Parturiunt montes naſcetur ridiculus mus: Amphora cœpit inſtitui currente rota cur vrceus exit? Quid hæc faciunt ad inuocationem Ieſu Chriſti ſedentis ad dexteram patris Dei in ſacris precibus?

Argumentum ſextum. Hæc dicit filius Dei in viſione qui habet oculos flammeos, noui opera tua, ego te eijciam, & ſcient me omnes ſcrutari renes & corda: Sicut ego accepi poteſtatem à patre meo, Apocal. 2. Quo pacto vafrities aliqua hominum poterit hoc teſtimonium eludere?

Reſponſio. Ergo euicimus Ieſum Chriſtum nihil ex noſtris latere ſed noſſe omnia? quæ à Deo patre illi nunciantur. Nam ſi nullæ ſunt in cœleſtibus moleſtiæ, credendum eſt ibi omnia ſciri, & læta & moleſta, ſed quæ Deus rector omnium & præſens rebus omnibus, qui ſemper regnat & non opus eſt vt futura expectet, ſine moleſtia nunciat vt ſciantur. Et neſcio, quomodo ſcriptori huic (dicerem fungo) niſi honorarem quos honorandos eſſe iudico, & vere cenſeo, non alius locus occurrat, niſi viſiones ſacræ ad quas ſi delabendum eſt, multa habemus nos contra ſcriptorem. Pater Abrahame (inquit) miſerere mei, Lucæ 16. qua prece quid ſimilius illi in precibus inuocationi, Domine propitius eſto mihi peccatori, Lucæ 18? Nonne melius, & argutius, & manifeſtius omnibus his viſionibus & commodius ad hoc propoſitum eſt, Quæcunque petieritis ad nominis mei gloriam, adde etiam & ad ſanctæ Eccleſiæ beneficium, à patre Deo, ego faciam vt impetretis Ioan. 14? quid opus eſt aliena & peregrina quærere, & veſtigare, cum habeas propria, & pene domeſtica & obuia? Sed quid hæc ad inuocationem in precibus quæ optime norant qui ea ſcripſerunt, cum tamen nullus eorum alium quam verum Deum, vnquam inuocarit in precibus?

Argumentum ſeptimum. Leproſum ſanare voluit Ieſus Chriſtus & ſuam vitam profundere propter nimium amorem, Ioan. 15. Volui facere voluntatem tuam ô Deus, Heb. 10. Venite ad me omnes, ego quieſcere vos faciam, in paſcuis meis, & animabus veſtris, credentes

Lxii/b

me esse Christum, *inuenietis requiem: cum exaltatus fuero omnia, per fidem in me, traham ad me, & potestatem habeo ponendi* ad mortem & ad vitam *resumendi animam meam. Ego pro his quos dedisti mihi Deus pater, sanctifico meipsum* sanctificatum abs te, *vt sint sanctificati per veritatem tuam.*

Responsio. Ergo? Quid? Nescio plane ad quid tantum sententiarum ex Zancho & vetere libro Papistico ad verbum citatio, nam nihil faciunt omnes hæ & harum similes leges ad rem nostram, pro qua vinctus R.D. Franciscus, expectat, vt dicit aduersarius, *iudicium vestrũ, & vos sicut Medicus, paruam rationem habens de ægroti sibi cõmendati salute, videmini ludere velle Taxillis aut exspatiari per hortũ ad aliquem obnoxium vobis.* Hoc à vobis ô Domini quærit D. Franciscus & cum D. Francisco tota Transoluania, *an ex verbo Dei demonstrari possit, Iesum Christum esse inuocandum in precibus, & vos dicitis Iesum Christũ cũ viueret habuisse omnẽ scientiam, nouisse arcana, bene voluisse hominibus, curasse Ecclesiã, & alia, quæ rẽ, ne à mille quidem millenis parasangis attingunt, sedetis ad iudicium in causa sanguinis & expedire negotium quamprimũ non vultis.* Concedit, inquit liber, aduersarius *sententias quas citauimus ex verbo Dei, speramus igitur concessurum eum etiam quæ ex verbo Dei citabuntur.* Ergo adhuc surdis cecinit D. Franciscus, cum diceret se velle stare verbo Dei, aut exemplo magno, paruo, citato ex diuinis oraculis. Quid facias talibus hominibus, qui ita morantur eum qui ad mortem deducitur, vt ne verbo quidem adhuc docuerint, an alicubi in verbo Dei extet inuocatio sacra ad Iesum Christum?

Argumentum VIII. *Cum profectus fuero ac parauero vobis locũ, iterũ veniã vt assumã vos* ad meipsum, *vt vbi ego sum & vos sitis. Rogabo patrẽ & alium consolatorem seu paracletum dabit vobis: redibo ad vos, post resurrectionem, non relinquam vos Orphanos,* Ioan. 14. Ergo *profuit discessus Christi vt locum nobis pararet, vt Spiritum sanctum mitteret.*

Responsio. Sed non est hoc quod quærit R. D. Franciscus, sed an in verbo Dei extet locus aliquis, qui dicit Iesum Christum inuocandum esse in precibus, seu an Deus pater mandauerit, præter se etiam Iesum Christum esse in precibus inuocandum. Non sum rogaturus, inquit ipse Iesus, pro vobis patrem quoniam opus non habetis meis precibus apud patrem, qui amat vos, Ioan. 17. Et non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo, pater volo vt vbi sum ego, sint etiam hi quos dedisti mihi, mecum, vt videant gloriam meam quam dedisti mihi, quod est, Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui, Matt. 25. quod est, veniam & assumam vos in resurrectione mortuorum seu in regeneratione in gloriam meam, quæ sententiæ multum distant ab inuocatione in precibus.

Argumentum IX. Iesus Christus intercedit pro nobis, apparet in conspectu Dei pro nobis, pontifex pius, innocens, impollutus, segregatus ab hominibus, & sublimior cœlis factus, sermone iurisiurandi filius seu rex constitutus & in æternum confirmatus, Heb. 9. 7. Ergo.

Responsio. Quid concludit tantus rerum apparatus? Nos vero ad hunc modum. Si ille

qui

qui dicitur intercedere pro nobis apud patrem Deum inuocandus est in precibus, Spiritus sanctus, ille Angelus per cuius Thuribulum ascendunt orationes sanctorum coram patre Deo, esset inuocandus in precibus, ille enim solus scribitur intercedere pro nostris precibus, quæ ignorantur à nobis quales esse debeant, sed Spiritus sanctus vel confessione hostium inuocari in precibus neq; solitus est ab vllo, neq; debet, neq; potest, Ergo intercessor nostrarum [illegible] causam intercessionis inuocari in precibus non potest à nobis.

Falsum est autem in antecedente partis prioris argumenti aduersariorum dictum illud, Iesus Christus intercedit pro nobis, nunc scilicet sedens ad dexteram patris Dei. Non enim hoc de Iesu Christo sed de Spiritu sancto est scriptum, qua de causa & ob id quod scriptum est in æternum vobiscum manebit, dicimur esse Spiritus sancti templa. Est & illud, non sum rogaturus pro vobis patrem Deum, Ioan. 16. De Iesu Christo autem illa, intercessor noui testamenti est nõ solum pro Hebræis, sed etiam pro his qui per fidem in eum reconciliati sunt patri Deo, vt Cornelius, Aristippus, Sergius, & alij ex gentibus incredulis. Vna enim intercessione absoluit totum hoc opus reconciliandi homines Deo patri, &, ipse est Hilasmos, sacrificium & propitiatio vna opera confecta pro omnium peccatis & paracletus alter sed apud Deum, abs quo precibus impetrauit Spiritum sanctum pro nobis vt esset apud nos alter, ueluti uicarius eius, paracletus. Hæc scripta sunt & uera esse quæ scripta sunt credimus, quæ scripta non sunt & sunt his contraria negamus, si his contraria non sunt in medio relinquimus exspectantes tempus illud in quo omnia quæ sciri à nobis poterunt, comperta erunt & explorata. Et notemus illa sæpius repetita, Quæcunq; petieritis à patre Deo, à patre, inquit, Deo petieritis, non à me, ego faciam, quibus uerbis docemur, quis concedere possit nostras preces & cui exponendæ sint nostræ petitiones, patri scilicet Deo soli, quem rogare nos debemus.

Argumentum X. Paulus Apostolus cum Ecclesiam Dei quod Iesum esse Christum profiteretur, auersaretur & hostili animo persequeretur, castigatus est à Iesu Christo è cœlo loquente, idem mittitur ab eodem ad præputiatas gentes Apostolus, ut semper fuerit fassus se à Deo patre & à Iesu Christo esse creatum Apostolum. Idem Iesus Christus in uisione mittit Angelum ad septem Ecclesias Asiaticas unum ex omnibus ministris missis à Deo patre eorum gratia, qui hæreditaturi sunt salutem. De eodem Iesu Christo dicit Esaias cap. 53. uidebit semen longæuum, quod posuerit in discrimine animam suam, opus Domini in manu eius dirigetur, notitia sua iustificabit multos, per fidem in eum. Ergo. Quidnam? Ergo inuocandus est Iesus Christus in precibus.

Responsio. Negant consecutionem omnia exempla orationum, quæ edita sunt ab Apostolis, postquam Iesus Christus sedet ad dexteram patris Dei. Ergo Iesus Christus missus à Deo uidetur in terris & accepta potestate mittit Angelos abs quibus ut rex adoratur, sicut misit Spiritum sanctum, & per scientiam Dei quod ipse esset Christus, iustificauit multos, omnes scilicet qui hoc ita esse crediderunt. Non est ad propositũ, de quo quærit argumentũ D. Francisci.

LXIII/6

Argumentum XI. Iesus Christus viuens in terris pellebat Dæmones, ægros sanabat, tempestates sedabat, mortuos resuscitabat, surdis auditum, cæcis visum, claudis incessum restituebat, elementa mollia durabat, peccata remittebat, Spiritum sanctum conferebat, mortem obiuit, rediuiuus apparuit, & quid non ad beneficium, non aliorum quam credentium & eorum qui crediturí erant effecit? Quid ei restitit? Ergo Iesus Christus est inuocandus in precibus.

Responsio. Hæc omnia victus testimonijs aduersarius, hoc est D. Franciscus concedet, sed non concedet hæc eadem in cœlo facere Iesum Christum, sanare scilicet cæcos, claudos, surdos, Dæmoniacos, calcare maria, remittere peccata, mori pro ouibus suis, dare spiritum sanctum, & hanc ob causam, *vt vos vultis*, totum ei regnum adimit, quia non credit authoritatem habere nunc Iesum Christum in cœlo concedendi quæ pij sacris precibus ab eo efflagitauerint.

Quis hic non deploraret Ecclesiam Polonicam? hostes. Quis non videret hanc vestram futilem, vanam, Papisticam, doctrinã? Qui illam amant & membrum eius se esse dicunt. Quis non desideraret meliora, saniora, argutiora, cõpositoria? Hoc plane argumentum nusquam legi. Petrus & Apostoli, maiora potuerunt edere & ediderunt miracula quam Iesus Christus in terra, Ergo nũc in cœlo miracula apud cœlicolas edunt, vt vires faciendorum miraculorum sequantur hominem, per quem Deus operatur miracula, non eos quorum fidei causa miracula fiant. Linguæ, inquit, addas tu, omnia dona Spiritus sancti cessa hominibus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, in signum sunt & prodigium non credentium, 1. Cor. 14. Et iam ad Papistas venimus, dicentes, sanctos charitatis copiosioris causa, sicut viuos precibus sollicitabamus, vt Simon Magus Petrum & Ioannem, ita mortui inuocari possunt. Quis non videt firmiora esse argumenta Papistarum, de purgatorio, de tribus Dijs & vno, de primatu Petri & alijs magno numero nænijs, quam ista sunt quæ nomine Ecclesiæ Polonicæ produxit nobis ad spectaculum Alexander Vitulinus? Ego eum cæcum dicam & cæcitatis peragam reum. Quid autem in hoc argumento erroris? quod in principio? maiora sunt & quæ non decent doctrinam eorum qui in ea Ecclesia lucerent, si aliorum tenebræ non prætenderentur eorum luci. Dicamus tamen falsam esse consecutionem, nec cum Iesu Christo homini & etiamnum regi, demere regnum, qui ei non concedit, quod Deus pater nullo tempore concedere alicui hominum, aut spirituum voluit, quod ipse Iesus Christus sibi adtribuendum esse nunquam monuit, quod Apostoli & alij quorum res gestæ, in sacra historia continentur, nec dicto, nec exemplo concedendum esse aut concedi posse Iesu Christo, significarunt. Debent autem sana, & à

sacris

ſacris Scripturis parata ingenia doceri, in rebus omnibus ſacris, & maxime omnium in cultu Dei proprio, exempla Ieſu Chriſti & Apoſtolorum, in rerum ambiguarum diſceptatione, pro legibus habere & ſonare illud. Hoc Abrahamus non fecit, quomodo ſcriptum eſt: quid in lege eſt ſcriptum? quid dicit Scriptura? hoc fac & viues.

Argumentum XII. Ieſus Chriſtus viuens in terra habebat poteſtatem remittendi peccata, poſt mortem aſcenſurus in cœlum ait. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, Matt. 28. Signa eos qui crediderint hæc, *ſi neceſſe fuerit*, ſequentur, per nomen meum Dæmonia eiſcient, linguis loquentur nouis. Petrus in nomine Ieſu Chriſti ſanat claudum, *virtute ſcilicet* Dei, *vt glorificetur Ieſus Chriſtus*, & Aeneam ſanat per idem nomen. Ergo nulla fronte & proterue Franciſcus adſerit, Ieſum Chriſtum nunc eſſe intercluſum & interceptum in cœlo, vt iam in cœlo quieſcat, neq; vllam ſuorum curam gerat, neq; in illorum gratiam quicquam præſtet, aut illis bene eſſe velit.

Reſponſio. Negatur conſecutio, neq; Alexander iſte ſtipes cum ſuis videt, cogit enim me rei indignitas ſeparare Eccleſiam Polonicam ab illo vno cum ſuis, qui hoc ſcriptum curarunt edi ad ſoloſq; ipſos orationem dirigere, nondum nouerũt, inquam, iſti Endymiones, quæ ratio & vincula eſſe debeant, inter antecedentem ſententiam & conſecutionem, vt hæc ab illa legitime manare poſsit & debeat. Sed neq; totum argumentum aduerſatur R. D. Franciſco qui hoc vnum quærit vbinam gentium ſcriptum ſit, Ieſum Chriſtum inuocandum eſſe, aut aliquando inuocatum fuiſſe in precibus? Pro miraculis autem editis ab Apoſtolis illud habes pro inſigni documento, quo illa erant referenda, Domine, inquiunt Apoſtoli, Actor. 4. tu es Deus qui feciſti cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, da ſeruis tuis, vt cum omni fiducia loquantur ſermonem tuum quod Ieſus ſit Chriſtus, manum tuam porrigendo in hoc, vt ſanatio & ſignа & prodigia edantur per nomen ſancti filij tui Ieſu, hoc eſt, ad glorificationem filij tui Ieſu, & demonſtrationem quod Ieſus ſit tuus Chriſtus quem tu vnxiſti. Neq; poteſtatem operandi miracula Deus pater ita dedit alicui, vt ipſum ea priuare nunquam voluerit, ſed eo cui prius dederat mortuo, in eum qui illi in munere ſucceſsit, conferre habuit ſemper in vſu, vt Eliſæo poſt Eliam, Ioſue poſt Moſen, Apoſtolis poſt Ieſum Chriſtũ. Neq; illa poteſtas data in cœlo & in terra Ieſu Chriſto poſt mortem eſt poteſtas edendi miracula, quæ habita fuerat ante mortem à Ieſu Chriſto. Sed & omnes iſtæ poteſtates ſi perduraſſent in Ieſu Chriſto poſt mortem, in cœlo collocato ad dexteram patris Dei, & pertinere aliqua ratione viſæ fuiſſent Apoſtolis ad inuocationem in precibus, plane

in his

in his rebus quæ maxime ad gloriam Iesu Christi illustrandam pertinebant, ad Iesum Christum inuocandum decurrissent, cum optime scirent quid posset Iesus Christus & quid illi datum fuisset, & non ad Deum patrem. Atqui illi, fac, inquiunt, Domine Deus porrigendo manum tuam in hoc vt per nomen sancti filij tui Iesu, sanatio, signa & prodigia fiant, quamuis illis à Iesu Christo dictum fuisset, signa eos qui crediderint hæc sequentur, Marci 16 Matt. 10. Ecce do vobis potestatem morbos curandi, dæmonia ejiciendi & alia. Quicquid, inquit Vitrelinus ille nunquam serio perlustrans sacras leges, Apostoli vlquam fecerunt dixeruntq; id totum vni Iesu Christo acceptum retulerunt. Blasphemia est authoris, si nouit quid sit acceptum ferre alicui. Veritas autem est, accepta fuisse omnia ab Apostolis quæ Deus pater dedit illis, & in Deum vnum & solum relata, ad glorificationem Iesu Christi quem Deus pater omnibus studijs conabatur contra eos, qui noluerant eum recipere, in Christum illustrare. Illustra, inquit, filium tuum, vt filius tuus te illustret. Mea omnia quæ habeo tua sunt, & tua, *quæ dedisti mihi*, mea sunt, & clarificatus sum per ea, *sicut*, & mea doctrina non est mea, *sed patris* Dei, *& patris* Dei *doctrina non est alia quam mea.*

Argumentum XIII. Per me effecit Iesus Christus multa in potentia signorum & prodigiorum, *virtute Spiritus sancti.* Rom. 15. Per me loquitur Christus qui erga vos non fuit infirmus, *ex potentia* Dei, 2. Cor. 13. Ergo Apostolis est credendum potius, qui totam vim quæ in cœlis erat ad edenda miracula, Iesu Christo acceptam ferunt, quam istis hominibus qui omnia perspicua testimonia suis cauillis perpetuo eludunt.

Responsio. Atqui hoc probandum non est, sed an Iesus Christus inuiolatis diuinis legibus, possit in precibus inuocari, & consecutio falsa est, & illud, Apostolos Iesu Christo acceptam tulisse vim edendorum miraculorum & falsum est & blasphemia in Deum, in Iesum Christum, & in Apostolos, Et antecedenti possunt addi illa, Iesum Christum omnes baptizati induistis, Gal. 3. Induimini Iesum Christum, Rom. 13. Et si mortui sumus cum Christo, cum scilicet Iesus Christus est mortuus, credimus, quod etiam viuemus cum eo, quoniam Iesus Christus reuixit ex morte, vt in æternum viueret, & alia multa, vt videat quiuis non posse ad historiam trahi, quæ sunt dicta oratorio artificio. Fieret enim Iesus Christus vestis, fieret lumen, fieret petra, fieret vermis, fieret homo scilicet & non homo, Et nos qui non eramus cum Iesus Christus est mortuus, viuere noua vita Adami non possemus. Loquebatur igitur Iesus Christus, loquebatur Spiritus sanctus, loquebatur ipse Deus pater per os Apostolorum & Pauli & aliorum ministrorum verbi, quoniam verba Iesu Christi, doctrinam Spiritus

tus ſancti, veritatem Dei patris, ora miniſtrorum verbi ſonabant. Et viuebat Chriſtus in illis qui veſtiti erant Chriſto, & mortui cum Chriſto cum Ieſu Chriſto reuixerant in vitam æternam. Quæ ſunt dicta non ſecundum hiſtorię narrationem ſed ſecundum emphaſeos ſignificationem, ſicut ibi, fiat ei maledictio veſtimentum quo operiatur, Pſal. 109. & non ſecundum, ſicut dixi, rerum collocationem & permutationem locorum, quæ tamen omnia vt concedantur autori, quid faciunt ad inuocationem Ieſu Chriſti in precibus ſuadendam?

Argumentum XIIII. Ieſus Chriſtus adfuturum ſe ſuis pollicetur & cum illis manſurum, *per alterum Paracletum & per uerba ſua quamdiu in illis manſerint*, vſq; ad conſummationem ſeculi, & diſcipuli ſine Ieſu Chriſto, *hoc eſt, fide, uerbis, Spiritu ſancto, quæ uicem Ieſu Chriſti obtinebant*, nihil facere poterant. Ergo.

Reſponſio. Quidnam? inuocandus eſt in precibus. negatur conſecutio.

Argumentum XV. Ieſus Chriſtus viuens in terris nondum glorificatus, omnia quæ volebant ipſum diſcipuli interrogare ſciebat priuſquam interrogaretur & *monitus à Deo* norat, quid eſſet in homine boni aut mali, ea voluntate prædítus vt vellet omnibus benefacere, & magnam virtutem in operando exercuit. Ergo nunc in cœlo accepta poteſtate in cœlo & in terra erectuſq; in ſummos honores, Iudex viuorum & mortuorum futurus ſubiectis ſibi omnibus hoſtibus, *per dexteram Dei patris*, non eſt dicendus, nihil penitus ſcire, nulla ſuorum cura tangi, nihilq; cuiquam ſuorum *à* patre Deo præſtare.

Reſponſio. Quamuis conſequens ſana interpretatione admiſſa concedi poſſet ex illis verbis, mittam vobis Spiritum ſanctum, qui vos conſolabitur, faciam vt quæcunq; petieritis *à patre Deo, in gloriæ meæ notitiam*, impetretis: Attamen conſecutio falſa eſt, & quo properet vereor ne neſciat etiam ipſe eius parens, qui edidit, ad inuocationẽ enim in precibus valere vt demonſtret Ieſum Chriſtum poſt mortem eſſe inuocandum in precibus; negant Apoſtoli omnes ſuo exemplo nos docentes, neminem inuocandum eſſe in precibus niſi Deum patrem, quod hæreret animis eorum mandatum Ieſu Chriſti: Vos autem cum oratis dicite, pater noſter, & qui pater veſter non eſt, illum nolite cum ſcelere inuocare. Sed quid obeſt ſi vſuram lætitiæ huius argumenti, ad parum temporis concedamus Vitrelino cum ſuis? nam præter illum & paucis quibuſdam additis, nemo ex Polonis cordatis his nugis detineri poteſt. Dicamus ergo, ſancti mortui in hoc orbe rogati ab hominibus multa impetrabant *à* patre Deo, ergo nunc in cœlis cum creuerunt in gratia apud Deum, rogandi ſunt in precibus ea ſpe quod ſint impetraturi quod pro nobis, *à* nobis rogati, petent. Sed quis lapſus eſt ille, ex ipſo Ieſu Chriſto omnis cognatio vel affinitas in cœ-

lo & in terra denominatur, vt omnes Chriſti nomine cenſeantur? Paulus autem ad hunc modum, ex ipſo patre Deo omnis patria, græcè, in cœlo & in terra nominatur, hoc eſt, vbicq; terrarum nullus eſt populus, gens, lingua, nomen, patria, græcè, cognominatio, generatio, quæ non ſit placata Deo, & non dicatur eſſe Dei, ita Deus oſtium fidei omnibus gentibus adaperuit. Quid dicent hoſtes? Nos ſacra non violare, aut nos non ignorare ſacra? Et quo tendunt rogo illa ô Vitulines? Multo acerbius illudit Ieſu Chriſto, quam milites Pilati qui regem Ieſum impoſita corona ſalutabant. Nam deeſt quiddam quod deuoraſti ſcriptor intra omaſum. Et quid illud, pendentem in cruce Iudæi ſubſannabant & exprobrabant ipſi regium nomen & dicebant deſcende de cruce, vt credamus te eſſe regem, cum nunquam id eſſent crediturí, ita Franciſcus de mandato inuocationis quærit Ieſu Chriſti, vt cum de mandato conſtiterit exempla poſtulet, & inde elabatur ad ea quæ ſunt petenda, & deinde dicat, cur potius hæc ſunt petenda à Ieſu Chriſto quam à Deo patre? & tandem neget omnes ſacras Scripturas & omnem fidem illis detrahat, ſicut huiuſmodi farinæ hominibus hic in Polonia contigit? Qui ſunt rogo iſti qui in Polonia ſacras Scripturas veras eſſe negarunt? Dic Vitreline & abſterge tandem omnem pudorem, qui ſunt iſti qui in Polonia ſacris Scriptis omnem detraxerunt fidem? tu ſolus cum tuis & nullus alius, aut tu nomina alium qui viuat, vt tu ille non ſis, aut ego euincam te vnum cum tuis eſſe illum, qui ſacra Scripta confudit cum baptiſmo nunquam non exſibilato & prophano, & corporibus inermibus & nudis, ad obiiciendum regnum Poloniæ, rapinæ hoſtili, quibus armatis & contectis regnum Poloniæ floreret in pace & æquitate legum. Nam eum ego dico plus negare ſacra Scripta, qui falſam intelligentiam eorum inteſtinis & viſceribus inſerit per vim & inſinuat quam profundiſsime pertinaciſsimo animo, quam quiuis hoſtis ſacrorum Bibliorum, qui literas, ſyllabas & dictiones eorum negat. Hi enim veritatem Dei tanquam manifeſti hoſtes denegant, illi veritatem Dei cum iniuſtitia coniungunt quam audaciſsime ſub ſpecie amicitiæ & ſtudij auxiliaris, plus autem nocet amicus fictus, quam hoſtis manifeſtus. Sed vnde tibi, inepte ad literas ſacratiores, hoc iudicium de R.D. Franciſco? Verſipellis, lingua & digitis qui arma & magiſtratum negas, ſed acuis, plus ferro linguam & digitos, vnde talis calumnia in regnum Poloniæ? talis infamia in eum, quem & dicas numerari inter Chriſtianos, & adſeras eum ſacra Scripta Prophetica & Apoſtolica negare? Reliqua tranſeo, quæ exiſtimo & certe ſcio mendacia eſſe, niſi velis eum ſacra Scripta denegare qui in interpretandis ſacris Scriptis tecum non conſentit. Perſto in Reuerendo Domino

Franciſco,

Franciſco, qui ita dicit, ſcriptum eſt, non dico me rogaturum patrem Deum, quoniam pater Deus amat vos, vt ſcilicet in orando patre Deo non habeatis opus mediatore, Ioan. 16. Nihil ſolliciti ſitis ſed in omni precatione & obſecratione & gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud patrem Deum, Philip. 4. Quicquid petieritis à Deo patre per vos, non à me, ſeu per me, ſed à patre Deo ego faciam, vt à patre meo impetretis, Ioan. 14. Omni cura veſtra coniecta in illum, patrem Deum, nam illi cura eſt, & non alij de uobis, 1. Petri 5. Dominum Deum tuum adorabis ſolum & illi ſoli ſeruies, latreſſeis, vnde Latria, cultus pietatis ſoli Deo in omni genere cultus conueniens, ſicut ibi, vt cognoſcant te ſolum eſſe verum Deum, Ioan. 17. Quem ſolum verum Deum. Quid illi soli? cultus & inuocatio in precibus. Et ſupra Vitrelinus, impium eſt adorationem & cultum diuinum alio transferri quam quo à Deo ſunt deſtinata teſtibus Ieſu Chriſto, Moſe, & Paulo dicentibus, Deum patrem ſolum eſſe adorandum, & colendum, & inuenit Diabolus angulum in Alexandri Vitrelini animo, ad conſtituendum duos è diuerticulo Deos, *nam qui inuocandus eſt in precibus, is verus Deus ſit oportet*, ſicut olim in Alexandri mente ad conſtituendum tres Deos è directo. Hæc legit quidem Dominus Franciſcus, & ſubdidit ſeipſum veritati Dei, & orat omnes vt ſi quid habent huic perſuaſioni ſuæ de non inuocando Ieſu Chriſto in precibus contrarium proferant in medium, inuenturi eum diſcipulum docilem.

Vinctus & damnatus & prope horam migraturus ad patrem Deum, vt nullus poſsit fucum vereri, hoc rogat Reuerend: Dominus Franciſcus, & tu cum diceres in principio huius ſcripti ſtatim hoc docebo, erexiſti iacentem ad ſpem addiſcendi aliquid & cum progreſſus vltra medium ſcripti tui nihil adhuc dederis, niſi errantia, aliena, contraria tibi, male abs te intellecta, falſa multa, inconcinna, conſiſtentia peſsime, crudelis dicis ſi dedero quod petitur, petitionum non erit finis. Atqui ego hoc dico clariora teſtimonia ex ſacris te non habere contra primatum Papæ, contra purgatorios ignes, contra cultum imaginum Papalium, & aliorum quæ Papa immiſcuit libris, vt vitiaret, ſacris, atq; ſunt iſta & alia quamplurima R. D. Franciſci contra cultum Ieſu Chriſti in precibus ſacris. Dico etiam, ſi dare R. D. Franciſco, aut nolebas, aut non poteras certa loca quæ demonſtrarent Ieſum Chriſtum eſſe in precibus inuocandum, promittere te daturum ab initio non debebas, cum græcizare in Epikaliſthæ & parakalein cœperas. Sed ſequamur Vitrelinum extra ſepta diſputationis euagantem & parerga conſectantem.

Argumentum XVI. Iairus adorauit Iesum Christum & inuocauit eum ad opem ferendam cum adhuc in terris viueret, cum tamen sciret vnum esse Deum adorandum, & eum solum colendum, ita fecit fœmina fluxum sanguinis patiens, ita regulus pro filij salute studens. Prætereundæ hic sunt Samaritana & Cananæa, & illi qui quærenti Hærodi vbi esset Christus nasciturus, respõdent, in Betlehem Iudææ. Et Paulus inclamanti è cœlo Iesu, quid me Saul persequeris? respondet, quid me vis facere? & omnia se posse testabatur propter Christum, abs quo confirmaretur Phil. 4. Et cum Domino Iesu in visione pluries est locutus, quem & rogauerat tertio, vt Angelus sathanæ à se discederet, pro quo plusquam alij omnes laborauerat, Apostoli. Quis igitur tam impudens erit, vt velit cum Paulo agere, quod inuocarit Iesum Christum in precibus, & eum contra legis præceptum egisse in eo facto dicat?

Responsio. Sed quid illa pompa Iairi, fœminæ ægrotæ, Reguli, Cananææ, Samaritanæ, Iudæorum, visionum Pauli & alia per integrum folium? vt inuocatio Iesu Christi in dextera Dei sedentis constabiliretur? Nihil minus. vt iuuarentur Papistæ ad inuocandum sanctos mortuos? aptissimum est argumentum & oris Vitrelini & lactucarum Tiberis. Non autem nos Paulum vocare volumus in ius violatæ legis diuinæ, quod dixerit, ter Dominum rogaui, quem pro præceptore libenter sequimur, sed Alexandrum in scitiæ, & negligentiæ arguimus & peragimus reum, qui vocem Kyrion non ad Iehouam Dominum, sed ad Adon Dominum in negotio de cultu Dei retulerit, qui Christi nomen, non virtutem Christi & Euangelium, quod secum ferebat vires Spiritus sancti, quibus nullus aduersarius Euangelij obsistere poterat, quantumuis maximas & formidabiles persecutiones, quas vocat infirmitates, inferrent nũciantibus Euangelium, sed Christi aut corporalem præsentiam aut vires prius donatas personæ Iesu Christi aut postea per Iesum Christum nunciantibus Christum, interpretatur temere, indocte, violenter, qui in periculo vitæ constituto fratri & in parricidij infamia versanti Ecclesiæ Dei, concionatur & moras trahit, quas potest maximas, neq; rem breuibus absoluit, vt antequam feratur Antidotum, obeat mortem is quo non erat dignus mundus. Falsum est igitur antecedens si Kyrios est is cui dictum est, sede ad dexteram meam, falsa autem est consequentia, si Kyrios est is Dominus, qui dixit Dauidis Domino, sede ad dexteram meam. Ad tantam, inquit Vitrelinus, rem volo de plano tandem respondere, modo Lector agnoscat Iesu Christo summum honorem & in terris degenti & ad dexteram Dei sedenti ab his hominibus qui primi nomen Iesu Christo non detrectarunt, exhibitum fuisse, tanquam, *addendum est, ei*

homini,

homini, qui à Deo patre ſuper omne nomen eſt exaltatus, ſed non in eos honores, qui ſoli Deo patri conueniunt, neq; à Deo patre ſunt aliquando hominibus communicati. Hi autem ſunt inuocatio in precibus.

Argumentum XVII. Petrus non permiſit ſe adorari à Cornelio, *piſcator ſcilicet Iudæus, à Cornelio centurione Romano & ſuo Domino.* Ioannes volens adorare Angelum *miniſtrum ſcilicet, eorum omnium qui hæreditatem capiunt ſalutis*, ab Angelo non eſt permiſſus. Ieſus Chriſtus *vt Meßias Iudæorum* permittit ſe adorari, & dicit, & illi, Fides tua te ſaluum facit, & alij, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis, & non inueni tantam fidem in Iſrael, & ſi credere potes omnia ſunt poſsibilia credenti Deo, *per Deum patrem, quamuis non omnia videantur eſſe poßibilia hominibus*, & opera quæ ego facio in nomine patris mei ipſa teſtificantur de me, *me eſſe miſſum à Deo Chriſtum*, & ſi mihi credere non vultis operibus *quæ maioris ponderis videntur eſſe teſtimonio Ioannis* credite, Quid tandem? ſi nos eandem fidem conſecuti fuerimus, & operibus quę fecit Ieſus Chriſtus crediderimus, nullus de nobis conqueri poterit, ſi Ieſum tanquam Chriſtum in terris morantem, *ſi apud nos moraretur aut nos eius ſeculo vixiſſemus*, adorare vt noſtrum Dominum vellemus. Reſponſio. Non eſt ad propoſitum.

Argumentum XVIII. Deus pater dicit de Ieſu Chriſto, hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacuit, Et Moſes, qui hunc Prophetam non audierit, ego vltor exiſtam, Et Deus, ponam verba mea in ore eius, Ergo qui Ieſum Chriſtum recipit patrem Deum recipit, & qui, *addenda ſunt*, Apoſtolos Ieſu Chriſti recipit ipſum recipit patrem Deum, qui per os Apoſtolorum loquitur.

Reſponſio. Adhuc nihil. Aproſdionyſa omnia, irreligata omnia, R. D. Franciſcum iuuantia omnia, R.D. Franciſcum ad malum non attingentia. Sed hem nos homunculos ferme fugerat illud, veluti reiectamentum, quod eſt, omnis iam authoritas inuocationis Domini noſtri Ieſu Chriſti ex ore ipſius Ieſu Chriſti pendet. Ita plane eſt, ſed neſcimus quid ſit, ſumma ne falſa an antecedens mendax? Nam ita offertur theatro, vt neſcias dux ne ſit an comes?

Argumentum XIX. Atqui, inquit, Ieſus Chriſtus quem ſibi honorem fieri vult? audi Ieſaiam, radicem Ieſſe requirent gentes *per fidem credentes eſſe Meßiam, & hic ex Hebræo petit vocem latinam, ſi quis tamen ei aduerſari cuperet, & diceret, in eum gentes ſperabunt, rectius verti vocem Hebraicam, haberet Paulum ſuffragatorem*, Roman. 15. Quid poſtea? Quid autem, inquit, quærendi voce ſignificetur, extant ſexcenta loca ſacra, quæ hoc ſignificant, & Eſaias, quærite Dominum dum inueniri poteſt, conuertimini ad Dominum, Eſaiæ 55. Quærite à Deo patre & dabitur vobis,

quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis *à patre* Deo, omnis enim qui petit accipit, *si bene petit à Deo patre*, Matthæi 17. Veniet desideratus cunctis gentibus, Aggæi 2. *Habacuc est scriptum*, &, adorent eum omnes Angeli Dei, *tanquam administratorij Spiritus missi à Deo in ministerium eorum qui sunt per fidem de regno eius*, Heb. 1. Audiuit & lætata est Sion & exultauerunt filiæ Iudæ, Psalm 47. Ergo mandatum Angelis vt adorent Iesum Christum, & iste cultus adauget lætitiam Sioni, quoniam Iesus est caput hominum fidelium & Angelorum, qui gaudent cum peccatores resipiscunt futuri similes Angelis.

Responsio. Quid tandem in summa? Nam & Prophetæ reges, & populus Prophetas, & reges parentes suos adorauerunt, vt minor maiorem se honoribus, procidens in terram est veneratus, præsens præsentem, & sæpe memoriam absentis, sed alia est adoratio hæc quæ cui est mandata à Deo tribuitur, ab illa inuocatione in precibus, cuius etiam muta dant significationem erga inuisum Dei numen, A facie, inquit, Domini mota est terra, &c. Psalm. 113. Et quam bene cultus sit rerum notitia Vitrelinus cum suis, demonstrat cum hanc generis huius adorationem, de qua scriptum est, reddite cuiq; quod suum est, cui honorem, honorem, cui timorem, timorem, 1. Petri 2. Rom. 13, cultum, hoc est, latriam vocat, quæ vt Augustinus notauit, nusquam legitur nisi ad Deum patrem relata, & perseuerans in voce cultus, Græce & Hebraice affatim doctus Vitrelinus addit.

Argumentum XX. *Causam huius cultus*, hoc est, ne fallamur, adorationis Angelorum erga Iesum Christum, narrat Paulus esse, quod in Iesu Christo habitaret tota plenitudo diuinitatis, & per eum reconciliata essent omnia in cœlo & in terra, quibus in verbis est mysterium voluntatis diuinæ, vt innotesceret multiformis sapientia Dei. Ergo est sympathia inter Angelos & homines, quæ hominibus & Angelis intercedit coadunatis sub vnum caput Christum scilicet Dominum, et addit indoctus Vitrelinus, quisnam inficias ibit, quod angelis dictum est, adorate eum tanquam filium, hoc est, regem & illi alacres præstant, ad fideles nequaquam pertinere? abundat, nequaquam, accedunt autem Angeli, ministrant Iesu Christo in natiuitate, in tentationibus, in morte, in resurrectione, in ascensione in cœlos, in iudicio ad separandum paleam à tritico, & nos detrectabimus nostro capiti hanc operam impendere? ô ingratitudinem?

Responsio. Quin potius ô insciti*am* Vitrelini, qui nondum nouerit vbi est, in Polonia ne an in Iudæa? Nõ enim num honos deferendus sit Iesu Christo, magnus paruus aliquis, quæritur, cũ legatur rediuiuum præsentemq; Apostolos adorasse, Matt. 28. sed an cultus aliquis adorationis in precibus lege vel exemplo ei, nunc in cœlo viuenti et inuiso à nobis, præterito Deo patre, cõueniat, quẽ scopulũ vitat cõsulto Vitrelinus, quẽ attingere se posse nõ sine periculo, ne damnet sua & suorũ præterita acta, videt. Nã cũ Cracouiæ essem, in publica actione cũ essent aliqui de more introducto à Gregorio baptizandi, à Nicolao paruta audiui, publicas preces & quidem longas

longas directas fuiſſe ad Ieſum Chriſtũ, quã rationem concipiendarũ precũ damnaui vt ſcelus in his qui aliũ Deũ verũ nõ adorarent, niſi ſolũ patrẽ, & vt omnia quæ veniunt in ſuſpicionem dicã, veritas tamẽ ſuo in loco cõſtet, aio pauperũ cauſa, multis ſilentio, multis multiloqo profuiſſe argentanginã, ſpero tamẽ hic nihil opitulaturũ memoriæ R.D. Franciſci aut obfuturũ, quã veritatem. Adorabantur aũt homines ab hominibus, vt ad antecedentis errata veniamus, propter munera publica quæ gerebant alius propter aliud, nõ aũt q̃ eſſent Deo pleni, q̃ cõmune erat omniũ miniſtrorũ Dei, ſed rex pro regni, Propheta pro vaticinij, doctor pro doctrinæ, Apoſtolus pro Apoſtolatus adminiſtratione, cœli aũt & terræ nomine omnia ſignificantur, & omniũ nomine primũ intelliguntur Iudæi, deinde gentes vna cũ reliquijs Iudæorũ, neq; extendẽdi ſunt huiuſmodi ſermones vltra metas Eccleſiæ quæ redempta eſt ſanguine dilecti filij Dei, & ouium quæ perierant ex domo & extra domũ Iſraelis, alterius ouilis. Multiformis aũt ſapientia Dei eſt illa, quæ patefacta eſt in myſterio, arcano ſc: illo, q̃ Deus reſeraturus erat Paulo, mox aperturus, q̃ & cõtigit tempore Pauli, oſtiũ fidei, per q̃ ſolus Abrahamus ingreſſus vſq; ad illũ diẽ fuerat, omnibus gentibus. Angeli autem ſeu ſpiritus inuiſi, ſunt in Eccleſia ſicut miniſtri iuuantes ad omnia quæ ſunt ſalutis & pacis, caput tamen eſt Ieſus Chriſtus tantum omnium illorum quibus mors eius profuit ſiue ad gloriam ſiue ad ſalutem.

Argumentum XXI. Ieſus Chriſtus dicit, venite omnes ad me & ego reficiam vos & inuenietis requiem animabus veſtris, illam quæ eſt per fidem in me, & ſi quis ſitit veniat ad me & bibat, qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ ſalientis perpetuo, ſed fides in Ieſum Chriſtum parit inuocationem. Ergo Ieſum Chriſtum in precibus, &c. Nam Paulus dicit quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt, Rom. 10. Ergo conſtat, qui Ieſum Chriſtum non inuocant aut inuocabunt in precibus, in Ieſum Chriſtum non credere aut credidiſſe quicquid de fide in Chriſtum & eius notitia blaterent.

Reſponſio. Iam vt video damnantur Apoſtoli veluti deblaterones qui Ieſum eſſe Chriſtum credebant, quin ipſe Ieſus Chriſtus iudicio Vitrelini erat deblatero, qui de fide in ſe Apoſtolos laudauit qui tamen nunquam eum inuocarunt in precibus. Hæc magna ſane eſt audacia, conſpuere in cœlum, atquì ego in ambiguis malo errare cum Apoſtolis quam recte ſentire cum Vitrelino, quanto magis in veriſimis, perſpectiſſimis & apertiſſimis. Si enim qui Ieſum Chriſtum in precibus non inuocat, in Ieſum Chriſtum non credit, ſequitur quod qui Ieſum Chriſtum in precibus non inuocauit, in Ieſum Chriſtum non credidit, Quæ monſtra narrat monſtroſiſſima doctrina Alexandri: Falſitas autem expoſitionis ſeu propoſitionis minoris ita probatur à Vitrelino. Is debet in precibus inuocari in quem eſt ſalutis conſequendæ cauſa credendum, ſicut Paulus dicit, quomodo eum inuocare poterunt in precibus in quem nõ crediderunt, Ro. 10. quoniam partus fidei eſt, eum cui credis ſeu in quem credis inuocare in precibus, ſed in Ieſum Chriſtum ſalutis conſequendæ cauſa eſt credendum, ſicut docet Paulus Roman. 10. Ergo Ieſus Chriſtus inuocandus eſt in precibus. Ad hunc modum ſolida eſt argumentatio,

cui

Cui opponimus illud, si credieretis Mosi crederetis etiã & mihi, de me enim ille scripsit. Ioan. 5. quare non credidistis Ioanni? meretrices autem crediderunt, Matt. 21. Scio rex Agrippa te credere Prophetis, Act. 26. Credendum est autem Mosi, Ioanni, Prophetis & Paulo, si salus desideratur. Ergo si inuocatio sequitur, tanquam fœtus parentem, omnem fidem quot erunt nobis inuocãdi in precibus? Respondemus autem expositioni argumenti ex illorum verborum institutione, à me ipso non loquor, Ioan. 5. sicut docuit me pater meus ita loquor, Ioan. 8. missus sum lõqui ad te, Lucæ 1. Locutus est pater Deus per os sanctorum Prophetarum, Lucæ 1. Ne autem vel ipsa specie fiat vis in verbis, Paulus qui dixit, omnis qui credit in eum non confundetur, dixit etiam ex Esaia, quis credidit his quæ audiuimus? Et expandi manus meas ad populum non credentem sed contradicentem, apithunta haplos, quoniam idem est hoc in loco & in huiusmodi formis loquendi, credere in Deum & credere Deo, & credere verbis Dei, & credere, sicut nolle credere, nolle credere verbis Dei, nolle credere Deo, & nolle credere in Deum est idem, Et dicitur ab Angelo Zachariæ quia noluisti credere verbis meis eris mutus, Lucæ 1. Atqui verba eius non erant verba eius, sed verba Dei, Est igitur fides & in eum qui mittit & à se ipso loquitur ex arbitrio voluntatis suæ, & in eum qui missus est & à seipso non loquitur neq; à seipso potest aliquid facere ad salutem pertinens. Illa autem fides & non ista parens est inuocationis in precibus. Hæc enim fides nihil est sine virtute illius, qualis fuit eorum qui his quos non misit Deus crediderunt, illa autem fides sine ista nunquam non profuit si vera fuit, sicut Deus, cum ob preces populi pro Samuele qui erat ab ipso institutus iudex populi, datus est Saul, cui tanquam legato & Christo Dei erat credendum, non te, inquit, spreuerunt sed me, 1. Regum 10. 12. Si igitur in argumento Vitrelini differitur de eo cui credendum est salutis consequendæ causa, tanquam mittenti sua iussa per eos quos ex hominibus erigit, vera est propositio argumenti, verum expositio falsa est: Nam Iesum esse Christum credimus seu in Iesum credimus quoniam Deus pater ita mandauit cum eum vnxit in Christum & dixit hunc audite, ipse vero testimonium de se quod esset Christus perhibuit: Sin autem de ea fide disputatio est qua credimus ministris Dei seu verbo Dei, vera est argumenti expositio sed propositio falsa, multi enim essent nobis inuocandi in precibus si omnes ministri, quibus creditum est ab hominibus quod fuerint à Deo patre missi ad annunciandum Dei patris voluntatem, essent in precibus inuocandi, esset enim nubes inuocandorum in precibus, sicut & nubes testium, Heb. 12. Locus autem Pauli habet, dicit Scriptura, omnis qui fidit ei, nempe patri Deo, non pudefiet, hoc est, non vana spe inueniet se delusum, dicit omnis pro Iudęis & gentibus seu Græcis, quoniam nulla sit distinctio generis & gentis in his qui fidunt Deo patri, quoniam idem Dominus & Deus est omnium, omnium, inquam, tam Iudæorum quam gentium & non solum Iudæorum, diues & opulentus gratia & benignitate in omnes, omnes inquam tam ex Iudæis quam gentibus se inuocantes in precibus, quomodo igitur inuocabunt, hunc Deum verum, in quem non crediderunt? & quæ sequuntur de fide quæ est

in eum

in eum qui mittit miniſtros ad homines diſſeruni. Iterum autem Alexander de cultu & honore inſert mentionem de ſuo, cum adhuc ex ſacris nihil adduxerit Biblijs, quid ſit in precibus adtribuendum Ieſu Chriſto in cœlo viuenti, ſed ad argumentum ex fabulis Alexandrinis veniamus.

Argumentum XXII. *Pater non iudicat quenquam* per ſe ſed per filium iudicat omnes, *omne enim iudicium viuorum & mortuorum dedit filio, vt omnes honorent filium,* tanquam iudicem & Chriſtum, *ſicut honorant patrem,* ſicut iudicem & vngentem in Chriſtos, Ioan. 5. *pater Deus excitabit,* ita dicit Paulus, & non vt Vitrelinus, Ieſus Chriſtus, *mortalia corpora noſtra per ſpiritum ſuum inhabitantem in nobis,* Rom. 8. Et per Ieſum Chriſtum *transformabit corpus noſtrum humile & conforme reddet corpori Ieſu Chriſti glorioſo ſecundum illam efficaciam qua poteſt* Ieſus Chriſtus ex virtute Dei *ſubijcere ſibi omnia,* Phi. 3. Geſtabimus enim imaginẽ cœleſtis Adami, 1. Cor. 15. & Ieſus Chriſtus dicet nobis, venite benedicti patris mei, paratũ regnũ tanquã cohæredes mei, à Deo patre accipite, Matt. 25. Rom. 8. *Qui non honorat filium* tanquam Chriſtum credendo Ieſum eſſe Chriſtum, *non honorat patrem Deum, Qui negat filium,* id eſt, qui negat Ieſum eſſe filium ſeu Chriſtum, *negat & patrem,* id eſt, negat & filij, id eſt, Ieſu patrem eſſe Deum. Ergo Ieſus Chriſtus eſt *inuocandus in precibus.*

Reſponſio. Falſa eſt conſecutio, honor enim inuocationis vni inuiſibili & inaſpectabili Deo conuenit, & diuerſus eſt ab honoribus miniſteriorum & donorum per quæ Deus pater operatur omnia in omnibus. Nulli enim communicari poteſt ſed naturam diuinam comitatur vt non niſi verus Deus ſit in precibus inuocandus. Et *illud,* quod non cernit Vitrelinus & habet ante pedes, *Venit hora & nunc eſt quod mortui audient vocem meam & viuent,* qui eam vocem ſcilicet meam per fidem audierint. Nam ſine fide qui audit non audit, & qui videt non videt, ſed magis fit cæcus, *quod citat Vitrelinus diſputat de fide, nunc eſt, inquit, hora, & non de poſtrema reſurrectione, ſine fide enim qui viuit non viuit ſed eſt mortuus,* Matt. 8. *Si, inquit* Vitrelinus, Ieſus Chriſtus *in precibus inuocaretur tantum abeſt vt Deo patri detraheretur proprius honor, vt etiam eius augeretur honor & gloria. Sed hoc eſt probandum Domine & non proponendum. Maior autem te eſt Papa, cui nullus credere ſine lege per aliquot ſecula, ex quo illuxit Dei Euangelium, voluit. Proba igitur quod dicis ex ſacris legibus & dicenti tibi, hæc dicit Dominus, credemus quæ voles, ſed aſſurgit Alexander de integro ad ſummam quam oſtendit quidem digito nonnunquam ſed ſemper ſine ratione ex proprio commento, ex viſis animi occupati die noctuq; in numis ex miniſterio corraſis in fænore poſitis & ponendis. Habes, inquit, iam Lector Chriſtiane mandatum expreſſum, habes vaticinia Prophetarum, habes etiam pulcherrima teſtimonia Ieſu Chriſti quæ vim mandati habent, habes præmia, ſi quis mihi miniſtrauerit honorabit eum pater meus,* Ioan. 12. & talia dicendo idem facit atq; ſi diceres, in principio creauit Deus cœlum & terram Gen. 1. aut fuit vir Elkana, 1. Reg. 1. *habes minas, vos me non honoraſtis,* Ioan. 8. *qua de*

re est qui quærat & iudicet. Quis iam totus non cohorrescat ad tam seueram comminationem quæ denunciatur contra hostes honoris Iesu Christi? & quis non alliciatur ad dulcia verba honorabitur à patre meo?

Responsio. Ego nondum video quo feratur iste impetus nisi plane ad aliquod magnũ malum aut suspendium Vitrelini, aut præcipitium. Nam hæc verba quæ pronunciauit Vitrelinus non possunt deduci ad inuocationem Iesu Christi in precibus. Honor enim datus à Deo patre Iesu Christo, est vt crederetur & credatur & credi debeat esse rex Israelis, Iudex institutus viuorum & mortuorum, quem visuri sunt tempore constituto à Deo omnes gentes in glora sua, præfectum regno cœlorum, non autem inuocationis in precibus, qui honor si concessus fuisset à Deo patre Iesu Christo, nunquam ab Apostolis fidißimis eius amicis & quibus tota voluntas Dei patris de Iesu Christo reuelata fuerat ipsi denegatus fuisset. Ventis igitur loquitur Alexander & turbat aerem, cum dicit se ostendisse, & quod se ostendisse dicit non explicat, & omnia sacra dicta quæ congeßit aquam potius exprimerent, quam summam de qua est instituta ab initio controuersia.

Argumentum XXIII. Ioan. 14, qui credit in me quicquid petierit in nomine meo à Deo patre ego faciã vt impetret vt glorificetur pater Deus per filiũ. His verbis fides proponitur eorũ, qui Iesum esse Christũ credunt: deinde inuocatio in patrem Deũ producitur & certitudo inuocationis declaratur, quod voluntatem nõ solũ Iesu Christi, sed etiã se inuocantiũ & credentium Iesum esse Christũ facit, & iuramentũ additur, Amen Amen, Ergo nunc cœlo potitus Iesus Christus, potest præstare quæcunq; ab eo fideles ausi fuerint petere et postulare.

Responsio. Negatur consequentia Vitreline, qui semper futurus es in huiusmodi cogitationibus quibus es addictus totus. Nam audis quæcunq; petieritis à patre Deo, nunquã dixit, quæcunq; à me petieritis ego dabo, aut à me & à patre meo, sed quæcunq; à patre Deo petieritis, vt ego glorificer & pater Deus per me, ego faciam vt exoretis. Tu vero ita, Christus tantam habet authoritatẽ, vt quicqd ab eo petierimus vel eius nomine à patre Deo totũ illud ipse præstare posßit ideoq; repetit, ego faciã, ego faciã. Tu vero Alexander stipes & fungus es qui non audias, quæcunq; petieritis in nomine meo, hoc est, ad mei nominis glorificationẽ, ego faciã, id est, propter me id faciet pater abs quo petieritis, vt glorificer ego & pater per me. Nõ dicit si quid aut à me aut per me petieritis, sicut gesta Apostolorũ q optime callebant sensa verborum Iesu Christi docent, hi. n. nunquã aut à Iesu Christo, aut per Iesum Christũ petierunt. Duplicẽ, inquit, iste locus Ioannis habet sensum, quidã dicunt ex hoc loco haberi per Iesum Christũ nos petere posse, quæ volumus à patre Deo, ex eo quod dicitur, ego ad patrẽ vado, alij vero de solius Iesu Christi inuocatione in precibus hic verba fieri dicunt. Sed dicant illi quid ad nos: quid ad te pro negotio in quo sumus: cum videas vtrumq; falsitatis argui ad Apostolis, qui nunquã petierunt à Iesu Christo aut à patre Iesu Christi aliquid in nomine Iesu Christi secundũ intelligẽtiam eorũ. Potest enim quis petere in nomine alicuius tanquã sequestri, quod huic loco nõ con-

uenit

uenit propter Apostolorum gesta quæ huic intelligentiæ obstant, & tanquã precũ finis, vt cedat scilicet oratio in eius aut vituperiũ aut gloriã, cui sensui cõsonant præter cætera conceptæ preces Apostolicæ, Act. 4. Illud vero, quia ad patrẽ vado, ad illud referendũ est, opera quæ ego facio, & ipse faciet. Absente, inquit, me accepto Spiritu S. quem me præsente habere non potestis, me glorificabitis maioribus miraculis, quam ego adhuc fecerim, quia ad patrẽ ego vado & à patre mittã Spiritum S. qui me glorificabit. Da, inquiunt, vt sanatio & signa & prodigia edantur per nomẽ filij tui Iesu quem vnxisti tibi, Act. 4. Non dicitur, nos rogamus nomen tuũ Iesu Christe seu nos rogamus te Deus pater per nomen Iesu Christi, aut per Iesum Christũ filiũ tuum, quoniã petitiones Apostolorum dirigendæ erant nõ ad Iesum Christũ, sed ad patrẽ Deũ, qui debebat Iesum declarare signis & prodigijs fuisse reuera Christum. In nomine meo petieritis intelligendũ est, inquit Vitrelinus, iuxta illud, Deus in nomine tuo saluũ fac me, Ps. 54. iuxta cõputum Iudæorũ, & saluũ me fac Deus, hoc est, in nomine tuo saluũ me fac: In nomine Iehouæ inuocabo, Ps. 116. qui inuocauerit in nomine Iehouæ euadet, hebraice, Ioel. 2. Vbi. n. nomẽ est, is ipse cuius est nomen intelligendus est, vt in nomine meo sit, in me, propter me, propter gloriã meã. Hæc ille græcizans et hebraizans, cum est aliqd aliter ab Apostolis citatũ. Euadet, dicit, est in Hebræo, q̃ Apostoli ignari scilicet & indocti, Sotheseæ saluabitur verterunt. Sed qd opus est multis verbis in re quæ nihil facit ad propositũ? Et qs nõ videt illud, in nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquẽtur nouis, esse illa, adiuro te per Iesum quẽ prædicat Paulus, Act. 19. præcipio tibi per nomẽ Iesu vt exeas ab ea, Act. 16. cõcionabatur in nomine Iesu Petrus Cornelio, & accepit Spiritũ S. Cornelius, & cœpit loqui linguis, Act. 10. Est enim cõcionari in nomine Iesu, fateri Iesum esse Christũ & huius gratia edere miracula, & ipsæ repetitiones sentẽtiarũ declarare possunt, diligẽti lectori, qd sit in nomine alicuius petere et saluari, sine Magiæ artificio. Neq; loci vnius sensus habet opus euagationibus, cũ ex proximis lucẽ recipere quis obscurus locus posßit et postulet. Nã q̃ dixit, in nõie meo quicqd petieritis, inde petit lumẽ, vt nognoscat mũdus q̃ tu me miseris & ego à meipso nõ veni, hoc est, quicqd petieritis à Deo patre, vt agnoscat mũdus q̃ nõ ego me, sed pater Deus Christũ me fecit, ego faciã, id est, propter me faciet pater, & impetrabitis. Nã is secundũ S. Scripturæ vsum dicitur aliquid facere propter quem aliqd fit, vt patet ex Es. c. 51. 9. & 10. itẽ ex Amos ca. 4. 1. Quæ sententia alia est ab inuocatione in precibus. Et quomodo Vitrelinus dicit Iesum Christũ iurasse, dicendo, Amen, Amen, q̃ est in Luca, in veritate, cum omnino nõ esse iurandũ Christiano homini dicat, scribat, statuat? Apud veterem, inquit, interpretem est, quicquid me petieritis ego faciam, Io. 14. quo rogo interprete latino, cõtra textũ græcum quẽ scripserunt Apostoli? Exempla, inquit Vitrelinus, inuocationis in precibus Iesu Christi, ex quo est nobis inaspectabilis, qua cõscientia, qua frõte, Franciscus à nobis reqrit, cũ nemini sint ignota, qui vel à limine Euangelistarũ volumina salutauerit? Quis enim à Iesu Christo cũ viueret in terris præter inuocationem & fidẽ beneficium accepit? Acceperunt autem homines infinita beneficia à Iesu Christo viuo, ergo non sine precibus & fide.

Ioan. 10. & Matt. 9. Miserere mei filij Dauid. cap. 15, Misere mei filij Dauid. Lucæ 17, Iesu præceptor miserere nostri. Actor. 1, Iesum ascendentem in cœlum Apostoli adorant, & reuertuntur Hierosolymam. Non cohærent vltima primis, Demine Vitulne. Hæc enim de visibilibus & viuis apud nos, illa de inuisibilibus & viuis apud Deum, & mortuis nobis tractant, neq; valet argumentum, Iosephus dixit Pincernæ, memineris mei cum bene tibi fuerit, Gen. 40, Et alter latro, Domine memento mei cum veneris in regnum tuum, Lucæ 23, Et Paulus auxilio precum vestrarum donabor vobis, Philip. 1. Et infirmatur quis ex vobis accersat seniores & orent super eum & sanabitur, Iacob. 5. Ergo pincerna mortuo, philemone mortuo, & alijs qui magno numero produci possent in exemplum mortuis, deberet, si constat ratio Alexandri, Iosephus, Paulus & alij illos inuocare in precibus abs quibus viuis fuerunt adiuti aliquo subsidio orationum. Neq; hanc ob causam, vt istud os asseramus Alexandro ad quod corrodendum accurreret, Iesum Christum similem esse dicimus aut facimus alicui hominum sui regni, cum illum sciamus esse regem, & primogenitum & hos omnes vna nota dicamus esse subditos imperio Iesu Christi, sed quod in re diuinitatis, quæ nunquam alicui communicata est, aut communicari potuit à vero Deo, tantum non habet vnus quod ei non est datum à Deo, quantum non habet vllus, & par est ratio in non habendo in magnis & paruis, quod magnis & paruis à patre Deo est denegatum. Diuinitatis autem veræ ratio solida est inuocatio in sacris precibus doctoribus sacris.

Argumentum XXIIII. Spiritus & sponsa, id est, Hierusalem descendens de cœlo, dicunt, desiderantes celeriorem aduentum sponsi, hoc est, Iesu Christi ad suas nuptias, & ingressum in gloriam sui regni, veni, veni: etiam veni Domine Iesu, Apoc. 22. Ergo Iesus Christus est in precibus inuocandus.

Responsio. Negatur recte fluere consecutio, quæ elumbis est & capta pedibus vt incedere non possit. Nam cum sponsus præsens & loquens dixisset sponsæ, Ecce ego venio vt reddam vnicuiq; secundum opera eius, sponsa respondet & spiritus qui est cum sponsa, veni, & qui audit & audiuit & audiet sponsum ita loquentem, dicat ei, veni. Et Ioannes repetendo hæc eadem sub finem, introducit sponsum ita loquentem sponsæ, etiam venio cito, & sponsa respondet, Amen, etiam, esto, fiat cito quod dicis, veni Domine Iesu. Quæ sunt desiderij & non conceptarum precum, sicut illa sunt, columba mea, formosa mea veni, specios a mea coronaberis, Canticorum 2. Veni de libano sponsa mea, veniat dilectus meus in hortum suum, Cant. 4. Veni in hortum meum soror mea, veni dilecte mi egrediamur, Cant. 5. 7. Et omnes sitientes venite ad aquas, Esaiæ 55. Veniat pax requiescat super nos, Esaiæ 57. Sion venit lumen tuum, Esaiæ 60. Ecce saluator tuus venit, Esaiæ 62, quæ quidem tam inter præsentes quam absentes sunt desideriorum & lætitiarum significationes, sicut alia quædam his similia sunt exprobrationis & ironiæ, vt, vbi est verbum Domini: veniat. Ier. 17. vbi est pollicitatio aduentus eius? 2. Pet. 3. Si filius Dei es descende de cruce, Matth. 27. Amor autem & odium non est inuocatio precum,

qua

qua ſubmittitur animus ei abs quo eſt homini datus. Quamobrem conſecutio falſa eſt, quoniam conſequens ex antecedente non poteſt dimanare. Nos exemplis ſanctorum virorum, inquit Vitrelinus, quæ ex vera fide fluxerunt quorum ingentem Catalogum recenſet Paulus, ad Heb. 11. & promiſſionibus Dei in lege & Prophetis palam extantibus, tum etiam teſtimonijs noui teſtamenti fulti, poſtquam à Deo patre Ieſus Chriſtus exhibitus eſt mundo, hunc honorem maxima cordis & conſcientiæ noſtræ conſolatione & gaudio, Ieſu Chriſto non dubitamus adtribuere. Hunc honorem, inquit, non denegabimus. Quem honorem? Inuocationis in precibus? Quo in loco ſacrorum Bibliorum eſt ſcriptum, Deum patrem ordinaſſe, vel leui veſtigio ſeu ſigno, Ieſum Chriſtum in precibus inuocandum eſſe? Iam video te abſoluiſſe diſputationis huius pensum, R. D. Franciſco periclitante, de honore, de fortunis, de vita, et expectante quid ex ſacris Bibliis ſis pariturus & nihil produxiſti quod ad rem faciat, niſi ſummas tuas nullo hærentes ſacro dicto, ſed humanis commentis conglutinatas. Quid dicemus? Nihil grauius niſi nihil probatum. Nam non deerunt omnes omnium gentium Academiæ quæ inſurgent acerrimè in hoc futile & inerme ſcriptum, quod eum honorem qui proprius eſt vero Deo, conetur homini adtribuere qui non eſt verus Deus, vel propria ſententia. Et cum Ieſus Chriſtus dicat, quod ipſe & Apoſtoli tota vita obſeruauerunt, vos autem cum oratis & aliquid petitis, dicite, pater noſter qui es in cœlis, Vitrelinus dicere audet, cum orandum eſt, dicere oportere, aut Ieſu Chriſte pater noſter qui es in cœlis, aut ſi hic horret, Ieſu Chriſte frater noſter, præterquã iußit fieri Ieſus Chriſtus. Hunc honorem, inquit Vitrelinus, inuocationis in precibus Ieſu Chriſto detulit, Quis? pater ne Deus? Mendacium eſt, niſi locum oſtenderis, vna enim cum inſtitutione demonſtrabitur & forma allocutionis, ne is pater dicatur qui pater non eſt. Magnam, inquit idem, conſolationem ſentimus, cum Ieſum Chriſtum in precibus inuocamus. Ita dicitis & de Baptiſmo, & de alijs, commentis & excogitatis humano arbitrio ſacris, idem dicebant & illi qui dicebant, ex quo reliquimus Deos gentium inuenerunt nos mala, idem Papiſtæ de tribus perſonaliter Dijs, idem Lutherani de ſua vbiquitate. Et quis vnquam falſa religione imbutus conſcientiam ſe habere pacatam in eo impio cultu negauit? Non animus igitur noſter, non mens, non conſcientia eſt vocanda in conſilium, cum de ſacris dogmatis quæritur, ne dicatur vana opera colunt me, docentes præcepta hominum, Matt. 15, ſed ſolum verbum Dei, Lex Dei, Mandata Dei, quæ eſſe debent Lux vitæ noſtræ in colendo Deo, & ſeruando primo præcepto legis. Sed ad cramben recoctam redit Vitulinus.

Argumentum XXV. Ieſu Chriſto demandata eſt poteſtas in cœlo & in terra, abſens Aeneam paralyticum ſanauit, Paulum cæcitate percuſsit, ſeruum Centurionis erexit, Iairi filiolam reſuſcitauit, peccata hominum condonauit, Apoſtolorum fidem auxit, ſenſus aperuit vt intelligerentur Scripturæ, dat os & ſapientiam inuincibilem, protegit ſuos, cauet ne ſuæ ouiculæ è ſua manu rapiantur, patrem quibus vult reuelat, ſui notitia iuſtificat ſuos ſeruos, dat mini-

steria, huic trium, alij quinq; talentorum gratiam confert, suis perpetuo adest vsq; in æternum, carnem suam dat ad manducandum, proprium sanguinem fundit ad remissionem peccatorum, Apostolos eligit, mittit, virtute ex alto munit & Spiritu sancto solatur, dat salutem corpori Ecclesiæ. Ergo Iesus Christus inuocatus in precibus, dat bona corporalia & spiritualia.

Responsio. Confusum nimis est antecedens, quod non iudicarem esse attingendum pro eo sensu quo à diuersis conscriptum est Apostolis, nisi falsa admiscuisset veris Vitrelinus. Iesus ne an Petrus sanauit Aeneam paralyticum, Act. 9? Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Matt. 28, est ne aliud quam dedisti mihi potestatem omnis carnis, Ioan. 17, vt det ei per fidem quod tu sis vnus & solus Deus, & ego tuus Christus, vitam æternam, an non aliud? & cætera quæ citantur sunt ne Iesu Christi antequam sedisset ad dexteram patris Dei an postquam in dextera patris Dei consedit? Et, ero vobiscum in æternum, est ne per doctrinam meam, per verba mea, per Spiritum sanctum, sicut expo-suimus supra, an per præsentiam corporis? ita confundit omnia confuso & indocto animo Vitrelinus, cui satis esset dicere falsam esse consequentiam, quã nunquam parere poterit appositis & inuocatis omnibus Lucinis. Antecedens propositio falsa est sicut diximus pro sensis Vitrelini & intelligentijs. Confirmantur hæc, inquit Vitrelinus, dulcissimis promissis. Quænam rogo? Antecedentis partes ne an consequentis? Audias, inquit, & intelliges quę confirmantur.

Argumentum XXVI. Qui reliquerit domos, fratres, sorores, patrem, matrem, vxorem, liberos, agros, causa nominis mei, *quod sim scilicet Christus*, accipiet centuplum in hoc seculo, & vitam æternam *quæ est hæreditas filiorum, quos scilicet filios effecit fides quod ego sim Christus*. Et licet cuilibet pio Lectori ex his discere, quę bona peti debeant à Iesu Christo, quæ etiã formã precũ concipiendarũ elicient.

Responsio. Atqui hæc non ad inuocandum aut non inuocandum Iesum Christum in precibus pertinent, potius hinc ederes, arma virumq; cano, quam vllũ hominẽ aut Deũ inuocari oportere in sacris orationibus. Sed videntur etiã hic oculis capti esse lectores, videre enim nõ possunt, vnde petendũ sit principiũ ad inueniendã formam precũ dirigendarũ ad Iesum Christum, quã dicit Vitrelinus elici posse ex verbis quæ citauit, cum non dicere Iesu Christo se posse intelligant, pater noster, qui es ad dextrã patris nostri. Vident quidẽ omnes quę bona speranda sint his, qui amore verbi Dei multa & varia sunt passi dãna, ex his verbis, sed elicere formã concipiendarũ precũ erga Iesum Christũ si inuocandus statueretur in precibus, ex citatis verbis dicunt videre se non posse, quare

quare cogeris nos docere paratos ad diſcendū, ſicut animus meus eſt teſtis me ad has contentiones nō deſcendere litium ſerendarū cauſa, aut nō bene examinatis omnibus, tanquā nullius Magiſtri niſi ſacrarū legū diſcipulus iuratus & paratus ad diſcendū & audiendū, ſi quis ex verbo Deiſaniora offerat, neq; meū eſt denegare Eccleſię meam operā, maxime periclitante veritate & necato eius miniſtro, cū ſit interminata execratio ſilēti & nō añuncianti veritatē q̄ nouit.

Argumentum XXVII. Addo colophonem ex Daniele cap. 7. datū eſt filio hominis venienti ſuper nubes regnum & poteſtas quæ nunquam auferetur, & poſt mortem eius ſacerdotium æternum. Hæc firmiora ſunt quam cœlum & terra, Ergo Ieſus Chriſtus eſt inuocandus in precibus.

Reſponſio. Falſa eſt conſecutio, Quoniam preces quotidianæ ſunt, ſacerdos autem vna ſui oblatione ſanctificauit electos, vt non ſit opus ſæpius offerre ſeipſum Deo patri cum ſemel mortuus extinxerit peccatum, quod eſt alienum à precatione in ægeſtatibus erga Deum.

Argumentum XXVIII. Sine me nihil poteſtis facere, *hoc eſt, ſine fide in me*, Ioan. 15. Ego vitis & vos palmites, qui manet in me & ego in eo, *per verba mea*, hic fert fructum multum. Luc. 21, Ego vobis dabo *à patre meo*, os & ſapientiam, *hoc eſt, Spiritum ſanctum, quem vobis precibus impetrabo, à patre Deo*, Et ipſe Ieſus ex cœlo Paulum confirmat, ſta ſuper pedes tuos, inquiens, apparui tibi hanc ob cauſam, vt per fidem *quod ego ſim rex*, aperires oculos & cōuerteres ad lucem gentes & liberares à poteſtate Sathanæ vt remiſſionem peccatorum obtinerant, & ſortem inter ſanctificatos habeant: huic autem viſioni Paulus aduerſari non voluit.

Ergo hanc vim etiamnū ipſe filius Dei de cœlo mentibus ſuorū indere ſolet, & non moueri nos debemus aduerſariorum inſolentia, qui nobis hæc præclara teſtimonia è manibus extorquere volunt, ne credamus Ieſum tangi cura ſuorum periclitantium, vt aut eos defendat & protegat, aut ex aduerſariorum furore eripiat, aut credentibus ſibi præſto adſit.

Reſponſio. Hanc vim, inquit Vitrelinus, indere ſolet, dicito tu quamnam vim, & ex his quæ obſcuritatem diſcutere poſſunt à verbis tuis nolito quicquā prætermittere: Inſolentia, inquis, aduerſariorum, dicito rogo quid eſt inſolentia, vt quadret in aduerſarium qui petit ex verbo Dei compoſito & dedente ſe animo doceri: Sed quē tu habes aduerſarium, qui etiā aduerſarios, & libertatis pacis publicæ pro amicis ducendos eſſe dicis? qui ſi habendum tibi aliquem putares aduerſarium, nunquam tamen eo in numero reponi poſſet, R. D. Franciſcus, qui te Magiſtrum tenebris Papiſticis etiamnum inuolutum, petit vt

verbum

verbum Dei proponas, vnde doceri possit Iesum in precibus inuocandum esse, & quamuis consecutio infirma sit & non consistat tamen propositum in quo sumus nihil iuuat.

Nihil enim facit ad inuocationem Iesu Christi in precibus aut promouendam aut remorandam aut retrahendam. Putat autem Alexander, Iesum Christum aut propria præsentia aut inuisibili maiestate, aliquo procedere, non missum à Deo patre è cœlis, veluti præfectum quendam omnibus operibus Dei, attamen inferiorem multis passibus patre Deo, ac cœlicolas omnes aliud scire magnos paruos, quam quod ex Deo patre habent, vt de nostris rebus sciant. Ad quod respondeo, id quidem totum quod est fœlicitatis in habitantibus cœlum neq; augeri neq; minui, id tamen totum ipsos habere à Deo patre, & non à se. Curat quidem Deus pater nos pusillum gregem suum, naturalis & verus pastor, sed sæpe ministerio hominum qui conspiciuntur, sæpe spirituum inuisorum, non tamen ob curam quam habet nostri, per hunc & illum, qui nobis conspiciuntur, dicendus est nostri curam alijs demandasse & à se abiecisse. Et cum legamus qui venit ad me, Ioan. 6. edoctus à patre Deo, vt ad me veniret ad me venit, Et Deus prior dilexit nos & dedit propitiatorem pro nobis, constituamus leges generales, Deum patrem curantẽ nos in terra curare nos per eos quos ad curam nostri misit & mittit & missurus est, in cœlo vero nos curantem, nullum vnquam ex his qui sunt in cœlo adsciscere voluisse, ne videretur non solus curare è cœlo nostra posse. Quare sicut Ananias dicit missus sum à Domino Iesu Christo, qui apparuit tibi in via, Ita Iesus Christus Dominus noster dicere potuisset, Saul Saul dicit Deus, qui me misit è cœlo cur me persequeris? Cum enim Iesus Christus patrem roget vt Spiritum sanctum mittat, nos sic sentire decet. Si enim ei tota cura Ecclesiæ demandata esset, sedenti ad dextram patris Dei, ipse semper docuisset Ecclesiam de rebus necessarijs, & nõ spiritus alios inaspectabiles legeremus venisse ad Petrum, ad Paulum, ad alios, vt Ecclesiam monerent ex nomine patris Dei. Omnia quidem redundabant & recidebant, in Iesu Christi qui in cœlis erat, laudem & honorem, sed Deo patre curante, qui etiam mortuum & in alterum translatum orbem honore regio prosequebatur. Statuamus, inquit Alexander, præesse Iesum Christum ministerio. Cuinam ministerio rogo? Ecclesiæ suæ, non sicut Plato, aut Aristoteles, qui mortui præsunt discipulis sibi iuratis & viuis, non sicut Moses qui mortuus per singula sabbata prædicabatur, Actor. 15. habens velamen super faciem, 2. Cor. 3. sed sicut is qui ex mortuis resurrexit & ad dexteram Dei est exaltatus, dat dona, hoc est, ministeria hominibus, Apostolos, Prophetas & Doctores à

Deo

Deo patre, portanſq; omnia *regni ſui* verbo potenti, Et huic regi nos dedamus & adiungamus per fidem Euangelij tanquam lapides viui, cum eo ſepeliamur in mortem, per legitimam Vitrelini *& ſuorum*, Baptiſmi adminiſtrationem, *quam ſibi ipſi, ipſi authores, nondum bene perſuaſerunt*, vt per veram Ieſu Chriſti reſurrectionem atq; regenerationem ſuæ reddamur reſurrectionis participes, vt iam *à* peccato manumiſsi, iuſtitiæ & Deo patri viuamus, qui nos ereptos *à* ſathanæ regno tranſtulit in regnum filij ſui. Hic eſt Ieſus Chriſtus qui nos carne ſua cibat & ſanguine ſuo potat, vt ad vitam æternam obtinendam ſufficienter inſtruamur. Recita poſt hęc omnia & integra Euangelia, non efficies vt aliqua vel vmbra perſuaſionis, appareat ex his quæ citaſti & ſimilibus, Ieſum Chriſtum eſſe inuocandum in precibus. De baptiſmo autem Gregorij Pauli, & reſurrectione quam fingit & commentatur, atq; de regeneratione & manumiſſione ipſius *à* peccato, quorum Vitrelinus hic meminit, quam ſit præter omnem Euangelij veritatem alibi docuimus, ſed & Baptiſma de quo loquuntur Euangelia, ad nos filios teſtamentorum & fœderis Dei non pertinere, docet liber noſter de argumento hoc. In præſentia ſatis eſt noſſe, longam iſtam rapſodiam ex ſacris ſcriptis ad Ieſum Chriſtum inuocandum, aut non inuocandum in precibus nihil facere aut valere. Aduerſarius, inquit Vitrelinus, premit altum corde dolorem, *vt Virgilij ſtudioſum agnoſcas*, nec palam fateri audet, ſe miniме credere Chriſtum Ieſum ſolutis doloribns mortis, victorem ſathanæ & direptorem ſpoliorum extitiſſe, tantum abeſt vt firmiter credat, Ieſum Chriſtum in cœlum palam ſubuectum, dextera Dei, hoc eſt, quiete, robore & potentia Dei potitum. Hic eſt Vitrelinus ille qui cum ſuis homines armari ferro ad patriæ tutelam, prohibet, & dicit ſe edoctum ab Euangelio, hoc docere, & armat linguam quantum poteſt maxime contra innocentem ſanguinem, mendacio & calumnia. Vbi enim vnquam D. Franciſcus aliud perquiſiuit, quam locum aliquem ex Euangelio, in quo extaret aliquod indicium, Ieſum Chriſtum eſſe inuocandum in precibus. Ego modeſtior eſſe volo in Alexandrum calumniantem manes D. Franciſci, ipſo melioris, quam ipſe ſit in gratiam nonnullorum, non ſine ſpe nauatæ operæ per doloſam linguam in R. D. Franciſcum, in hac cauſa extollendum laudibus & perpetuandum Trophæis. Rationem latinæ locutionis, alij quibus iſta ſunt curæ, hoc in loco poſtulabunt, ego de re ſola diſputare inſtituj. Dico Alexandrum falſi accuſari *à* quouis poſſe, quoniam nuſquam ſcriptū eſt Ieſum Chriſtum dextera Dei potitum, quod omnibus ſacris eſt inauditus loquendi modus, ſed in dextera Dei ſedere, ſed nulla religione tangitur mutare ſacra, qui pro ſcelere duceret Virgilij carmen mutare, ita fit cum relicto Deo

paramus hominibus, contra veritatem Dei, victoriam. Porro, inquit, dextera Dei in sacris Scripturis significatur robur, potentia, quies. Non ita est, quietem non significat dextera Dei, nisi addas quietis verba, vt sedere, stare, quiescere, & vt hoc sit quod non est, nullus tamen locus est in sacris aut prophanis, qui dicat aliquem potitum dextera Dei, hoc est, accepisse in premium, aut vicisse aut magno labore acquisiuisse dexteram Dei, econtrario vero, dexteram Dei perrumpere & peruincere omnia sæpissime legitur. Nos vero, inquit Vitrelinus, credimus Dominum nostrum peccatorum nostrorum causa esse mortuū, resurrexisse à morte nō solū vt nos iustificaret, verumetiā vt à patre constituto tempore à morte voce sua excitaret, & nobis mansiones in cœlo pararet, certoq; statuimus eū in cœlo regnare, ita vt nō solū nō dubitemus ipsius nomine censeri, Iesuitæ scilicet, *est enim Iesus nomen Iesu, dici*, verumetiam vitam nostram obijcere morti, potius quam vt eum abnegare velimus, & adhortationē Pauli amplectimur, dicentis, quærenda esse cœlestia vbi Christus est. Hoc Paulus nunquam dixisset si Christus in cœlo nobis nullo esset vsui. Et addit Paulus, si resurrexistis cum Christo, innuens neminem posse hac mente affici de resurrectione Christi, nisi qui resurrectionis Christi iam fuerit particeps per veram Euangelij & non simulatā hominū regenerationē. Sed Vitreline, cū dicis, *nos*, videris excludere R.D. Francis. qui eodem iure excludit te à fide S. Bibliorū, quo tu nulla ab eo affectus iniuria, videris eū excludere velle à fide Christiana. Et hæc omnia quid, rogo iterū atq; iterū, faciunt ad statuendā inuocationē Iesu Christi in precibus? Obijciet, inquit Vitrelinus, aduersarius, si in cœlo regnat & Deus pater & Iesus Christus, ergo in cœlo sunt duo reges: hoc fieri nō potest, ergo satius est ad antiquum dierum nos cōuertere illicq; supplicare, illum in precibus inuocare, quam vt Iesu Christo qui nuper nouis honoribus à Deo est auctus, & nondum eius potentia aut robur est conspicuū, nos cōmittamus & eū in precibus inuocemus. Non hoc obijcit D. Francis. Alexander, sed petit locū in quo aut Iesus Christus fuerit inuocatus in precibus, aut doceamur Iesum Christum sedentē ad dexterā Dei inuocandū in precibus esse, q; nunquā ab Apostolis sit factū. Legit enim illud R.D. Francis. interea dum omnia subijciuntur sub pedes eius, oportet eū regnare, 1. Co. 15. Sicut aūt & Deus pater est Elohim, & iudices exercentes iudicia Dei, sunt Elohim, Ps. 82. isti tamen & illi non sunt multi Dij, quoniam aliter illi, aliter iste vocatur Elohim. Ita, pastor Deus pater dicitur, rex, sponsus, redemptor, seruator, dicitur & Iesus Christus pastor, iudex, sponsus, rex, redemptor, seruator, sed iste cum illo non facit numerum duorū, quoniam ab illo habet iste quicquid habet, quæ autem habet quomodo data sint ei

narratur

narratur numerus & ordo. Oſtende tu Alexander, inter illa quæ donata ſunt Ieſu Chriſto à Deo patre eſſe etiam inuocationẽ in precibus, & perſuaſiſti. Nam ſi Ieſus Chriſtus haberet poteſtatem donandi ea quæ vellet, quibuſq; opus habere ſuos intelligeret, nunquam dixiſſet de ea re quæ maxime erat omnium neceſſaria Eccleſiæ futura, rogabo patrem, vt alium paracletum det vobis. Quid enim opus erat nouis precibus in ea re cuius concedendæ habebat poteſtatem? Dicis autem tu, omnium illarum rerum concedendarum habere Ieſum Chriſtum & habuiſſe, quæ pertinebant ad gloriam ſuam & ad beneficium Eccleſiæ, poteſtatem: Atqui non minus rogauit de Lazaro viuens in terra quam de Spiritu ſancto mittendo, ſedens ad patris Dei dexteram. Videſne in quos ſcopulos impingis? Sed audiamus te, Reſpondeo, inquis Vitreline, argumento, id quod Ieſus Chriſtus de ſuis hoſtibus & deſertoribus eſt teſtatus, Lucæ 19. Inimicos, inquit, meos qui nolucrunt me regnare ſuper ſe, adducite huc & occidite ante me. Ad hunc modum graphice Ieſus Chriſtus ſuum regnum delineauit. Nam etſi à nobis diſceſſit Ieſus ad patrem cœlocq; continetur, non tamen ſe tradit quieti, & in otio degit vt multi ſomniant, ſed accipit regnum, poſtea in mundum rediturus, & poſtea in negotia ſeruorum ſuorum inquiſiturus & malos ciues occiſurus. Sed in ecſtaſin raptus & abreptus orationis impetu, Vitreline, argumenti, cui reſpondere velle dixiſti oblitus es, & de tribus capellis quod fieri oportebat ne verbum quidem dixiſti, ne gry, ſi noſſem ſicut tu græce. Ergo duo reges ſunt in cœlo regentes cœlum & preces mortalium moderantes. Tu vero quid dicis? dic aliquid vel carcere dignum ſicut multa, ſed illud maxime dignum eſt animaduerſione, ad quod audiendum deuoco totam Poloniam, interea dum illa aduentat, rogabo te, quid eſt quod ſupra dixeris, Ieſum Chriſtum potitum fuiſſe dextera Dei, hoc eſt, quiete, & nunc dicis aliquos ſomniare Ieſum Chriſtum ſe tradidiſſe quieti & otio, à tumultibus ſcilicet huius ſeculi, quos pater Deus in ſe recepit cõpeſcendos & tollendos? Requieſcunt, inquit, animę ſanctorũ à laboribus ſuis, ſequuntur eos opera iuſtitiæ in quibus vixerunt, otium, ſcilicet, beatitatis & quietis in felicitate æterna, Apoc. 24. Qui ingreſſus eſt, inquit, in requiem Dei, in quã Ieſus Chriſtus & nos *per fidem in eum* introducit, & ipſe requieuit ab operibus ſuis, quemadmodum Deus à ſuis, qui dicitur quieuiſſe ab omnibus operibus ſuis, Heb. 4. Nunc tota Polonia accurrat vt videat doctrinam Vitrelini & ſuorũ, de nõ gerendis armis qualis ſit & quam dextrè, Vitrelinus vtramq; ſibi præcidat & amputet tibiam, Ieſus Chriſtus, qui dixit, diligite inimicos veſtros, benefacite eis & alia, quo iurę ſuis famulis iubet, vt hoſtes ſuos qui nolebant eum regnare ſuper ſe,

ferro occidant, ciuitatem eorum comburant, hos priuat bonis, illos auget beneficijs: vt priuatus? Minime. Factum est, inquit, cum regnum nouum accepisset. vt Magistratus ferri? sic est. Ergo licet, licet, inquam, Christiano homini, ferre gladium, vt dicit Paulus, ad metum malorum, laudem vero bonorum. Non frustra licet gerere magistratum ferri, quem Iesus Christus redditus ex agno Leo de Iuda, gessit, & permanet indesinenter amor mandatus à lege erga hostes & inimicos, cum trucidantur ex iussu legis rebelles Deo, & ob id, hostes & inimici magistratus ordinati à Deo, Iesu Christi scilicet creati nunc regis in potentia. Ergo, dicebat olim Vitrelinus cum suis, ignarus vbi deberet poni, in cymba Petri an in cymba Charontis, duos nobis Christos dant Christiana sacra. Non bone, duos Christos sed duorum temporum, vnum hominem Christum, Dauidem vnum, sed aliter regem, vnctum à Samuele, & aliter post multos annos receptum à toto regno. Regnum, inquit Vitrelinus, Domini nostri Iesu Christi impugnatur & proscinditur à magna coluuie hominum, qui palam Iesum Christum blasphemant, non solum alienorum verumetiam subdítorum, qui excusso iugo doctrinæ eius, & vero vsu Sacramentorum, ac legitimo cultu, *qui desidet in mente Vitrelini & suorum, & non alibi* quiduis audent, & cum inuentiones & placita hominum sequantur, prætendunt suis erroribus nomen Christi. Hæc nihil faciunt contra R.D. Franciscum aut pro colendo Iesu Christo in precibus, plurimum autem premunt Vitrelinum, vnde enim nobis baptismus quo vteris Vitreline? Ex Gregorij crebro & aliorum hominũ sine Euangelio? Vnde non esse induenda arma, ad patriæ salutem & iustitiæ publicæ conseruationem? Ex Gregorio & alijs hominibus discernere non valentibus inter publicum & priuatum & existimantibus non licere magistratui quod priuatis non licet, non licere Iesu Leoni, quod non licebat Christo agno. Vnde illud non licere in rei dubiæ peruestigatione iurare, magistratu mandante? Ex Gregorio & alijs tuis, qui duplex esse iuramentum in sacris legibus ignorant. Vnum voti de quo iurandum non est, sed addendum, si Deo placet, simplicibus dictorum nostrorum verbis. Alterum veritatis testandæ causa, in quo nullus est in sacris legibus sanctus qui occasione data non iurauerit. Quid connumero singula? quæ humana machinamenta, spectra, cogitationes deliræ magis quam præficarum, si non essent, vnus omniun vnius cœtus esset in Polonia, homo, animus, cor, vires, studia, in quæ portæ inferorum nihil valerent.

Iesus Christus gerit arma, & dicet Vitrelinus, non licere Iesu Christo arma induere? sed comprimo me ipsum non sine causa. Pharao Iosephum instituit, super totam Aegyptum, vt eam & totam domum regiam solus administrarer,

ret, ſolio regni ſolo, minor rege, quod ſcilicet rex non vocaretur, Gen. 40, ita Daniel honoratus eſt à Babylonio rege, Daniel. 2, & populum ſuum Deus ex Aegypto eduxit vſus opera Moſis, quem Deus conſtituerat principem & redemptorem, miſeratq; ductu Angeli, qui viſus ei fuerat in rubo, & hoc eſt, in quo Moſes probrum tulit Chriſti, quoniam eum in typo retulit. Heb. 11. Et in danda lege non ſolum Moſis opera eſt vſus Deus tanquam mediatoris, ſed etiam Angelorum, Actor. 7, Gal. 3, quid iam impediet, ne Deus habeat eminentiam ſupra Ieſum Chriſtum, quamuis ei omnem in cœlo & in terra conceſſerit poteſtatem? Quid Vitreline vocas eminentiam? Inuocationem in precibus quæ ſoli patri Deo conuenit? Non eſt argumentum iſtud contra R. D. Franciſcum. Regnandi maieſtatem? Non eſt quod dicis contra R. D. Franciſcum. Quid eſt vero quod ais, Deum patrem dediſſe poteſtatem Ieſu Chriſto ſedenti ad dexteram ſuam, ſuper cœlum & terram? vt Ieſus Chriſtus ſuſciperet curam gubernationis cœli & terræ, ſicut Ioſephus Aegypti? Falleris, deciperis, erras.

Senſus enim horum verborum, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, eſt, omnes poteſtates & omnes principatus, &c. qui ſunt in cœlo & in terra mihi iam declarato ex reſurrectione mortuorum vero Meſſiæ in potentia, ſunt ſubiecti. Poſitum autem eſt præteritum pro futuro propter certitudinem rei vt ſolet in prophetijs fieri. Quid vero ſi Pharao Ioſephũ poſtquam ſemel ab Aegyptijs fuiſſet reiectus, ne eſſet ipſorum rex ſecundum voluntatem ipſius Pharaonis, declaraſſet denuo ipſum ſigno aliquo infallibili in regem in potentia, atq; interea temporis ipſum Ioſephum donec rex reipſa fieret in locum aliquem amœniſſimum collocaret, vbi omnibus affluеret bonis & conſortio optimorum frueretur ne reiectio à regno, quæ ipſi accidiſſet & deſideriũ habendi regni denuo promiſſi ipſum angerẽt, nũ ob id Ioſephus poſſet dici ſtertere aut moleſto otio frui, & indormiſcere Endymionis noctes, eo quod regnum re ipſa nõdum poſſediſſet? & cur quod in alio videmus, proprio in loco non cernimus? ſede ad dexteram meam, hunc haberet ſenſum, ſi Ioſepho fuiſſet à Pharaone dictum, Sis mi Ioſephe patienter rex in potentia quoad proſternam hoſtes tuos ſub pedes tuos, id eſt, faciam te re ipſa regem, quo facto, tu regnum reipſa poſſeſſum ſuo tempore ſine macula & næuis rurſum reddes mihi & mihi ſubijcieris. Sed quid dicis Vitreline de probro Chriſti, hoc eſt, numeris publici quod qui gerit vocatur Chriſtus? Paulus ita dicit. per fidem Moſes iam grandis, renuit vocari filius filiæ Pharaonis adoptiuus, potius eligens, ſimul cum populo Dei malis affici, quam temporarijs peccati commodis, nam fuiſſet Aegyptius & non Iſraelita, frui, maiores arbitratus diuitias, probrum, quo afficiebantur Iſraelitę, Chriſti, hoc eſt, ſui, qui futurus erat Chriſtus, dux, mediator, & redemptor populi Dei & princeps, quam Aegyptiorum theſauros. Maioris, inquit, duxit ſubeſſe malis Aegyptiorum atq; probris, ipſe Chriſtus & dux vna cum populo quam Aegyptiorum regna. Et noſter Vitrelinus tanquam optime cal-

lens græcam linguam explicat probrũ Christi, probrum Iesu filij Mariæ, ita res quadrat rei. Videt aũt Lector in hac narratione argumenti Alexandrini duo esse dia & vnum hypo, hoc immobile est, vt alibi diximus, quoniã vnũ est semper, illa mouentur, quoniã multa esse possunt, & vnũ succedit alteri, & aliud alij, vt Deus per Angelum Mosi & per Mosen populo declarauit voluntatem suam, & à Deo data est Lex per manum Angeli, & post Angelum per Mosen. Non tollitur, inquit Vitrelinus, dominium viri super mulierem, ne vir sit mulieris caput, quod Deus coniunxit virum & mulierem in vnam carnem, ita non tollitur imperium Iesu Christi super Ecclesiam, ne sit caput Ecclesiæ, quod Iesus & Ecclesia sit vnum os & vna caro, & vnus spiritus, & salus et regimen Ecclesiæ venit ex capite. Omnia stant pro D. Franciscõ, neq; eius Thesibus cõtradicunt. Idẽ enim regimen & eadẽ salus erat in Ecclesia patris Dei, per Iesum Christum, viuo Iesu Christo, quæ nunc est sedenti Iesu Christo, ad dexteram patris Dei, eiusdem scilicet patris Dei, nam à capite veniunt omnia. Caput aũt Christi Iesu sicut omnibus temporibus omnium Christorum Ecclesiæ Deus pater est, sine quo, Christus caput Ecclesiæ nihil est aut valet, sed translato capite Ecclesiæ Iesu Christo in tutum ad dexteram, scilicet, Dei qui est caput Christi, et capite, scilicet, Christi Deo sumente prouinciam administrationis totius corporis Ecclesiæ, genus gubernationis & imperij Dei capitis Christi, non est mutatum sed idem quod prius remanet. Sequitur Vitrelinus, non tollitur eminentia patris Dei & maioritas eius, ipso Iesu Christo teste, ex eo quod ipse pater Deus & Iesus Christus sint vnum, & omnia quæ habeat pater, in gloriam muneris Christi, habeat Iesus, filius iam declaratus patris Dei, & econtrario quæ habeat filius, pro Christi munere, sint patris Dei.

Ita est, sed in his omnibus, quæ habet pater ex se, & habet filius ex patre, nõ est inuocatio in precibus. Vis hoc manifestißime? Nunquã ab aliquo iusto cuius meminit S. historia inuocatus est Iesus Christus in precibus. Quare cum vltra muneris dignitatẽ nihil Iesus Christus acceperit à Deo patre, & omnia quæ donare debebat Deus pater illi qui suo tempore declarandus erat ab ipso Christus, accepta fuisse à Iesu Christo, donante ei huiusmodi omnia patre Deo, intelligamus, & de his omnibus quæ data sunt à patre Deo Iesu Christo, quamuis fiat apud nostros sacros authores significatio, tamẽ de inuocatione in precibus, & quod Iesus Christus sit sui ipsius caput, & de alijs multis in quibus maxime seruatur eminentia patris Dei super Iesum Christũ non fiat verbo, vestigio, exemplo, signo in sacris mentio, concludere nos sacra cogunt, illa esse de dignitate Christi quæ data illi fuisse leguntur, illa vero de Iesu Christi dignitate non esse, ipsa, vera, quæ ei à Deo patre non sunt data. In sequentibus opus plane est Delio. Opera nostra in promulganda Euangelij doctrina Deus ipse vtitur, cum tamen Deus legem nouam in cordibus suorum se scripturum est pollicitus. Heb. 8, Et firmiter tenendum est ita placuisse Deo saluos facere credentes, Matt. 11. Ideoq; Iesus Christus ait, sibi tradita esse omnia à patre Deo, Matt. 28. & Paulus Coloss. 1. Iesum Christum dicit esse caput Ecclesiæ, principium & primogenitum, quoniam in eo placuit patri Deo, habitare omnem plenitudinem rerum omnium, &

ium, & diuinitatis patris Dei, *pace facta per mortem eius, reconciliatis omnibus in cœlo & in terrâ. Vera ſunt omnia ſed contra argumentum* D. Franciſci *nihil faciunt, & cumulus iſte citationum teſtium quo tendat dicat qui intelligit, contra* R. D. Franciſci Theſes *pertinere non video. errorem vnum video in* Vitrelini *intelligentia latentem, principium, inquit, & primogenitum, archen ſeu archegon, vt dicit* Petrus, *quod eſt principem & primogenitum. quid enim archæ, principio, quod reſpicit to telos, cum archa, principe qui reſpicit ſubditos, archas, thronos, dynameis. Alterum errorem prætereo poteſtatis datæ in cœlo & in terra, quoniam ipſe* Vitrelinus *aliter quam antea interpretatus eſt animaduerſa phraſi, per vbiq; terrarum & gentium concionum habendarum authoritatem, & gratiam acceptam à Deo patre. His abſolutis quæ declarant inſcitiam* Vitrelini, *& aliorum ſi qui ſunt, qui indocti & rudes, huic operi ſtudia ſua collocauerunt, quæq; nihil in ſe comprehendunt, quod in multis millibus vel particulam vnam argumentationis* R. D. Franciſci *attingat, ad cauſam præſentem faciat, etiamſi omnia quæ ſacra* Euangelia *& ſacræ* Epiſtolæ Apoſtolorum *continent, coniunxeris, aſſurgit ad ſummam generalem totius ſententiæ declaratæ per multa, vana, inermia, aliena à propoſito, argumenta,* Alexander, *& ita dicit.* Habetis fratres Tranſyluani, iam in cauſa damnati, ſeu denuo damnandi R. D. Franciſci, *noſtram ſententiam & fidei confeſſionem. Quænam eſt? non ſolum nos cogi ad inuocandum in precibus* Ieſum Chriſtum *ſedentem ad dexteram* Dei, *verumetiam ardentiſſimo cordis affectu, & ſpiritus exultatione ad inuocandum in precibus* Ieſum Chriſtum *vltro accedere oportere, certi nos non peccare, quod qui pro nobis mortem atrociſſimam ex beneplacito patris* Dei *ſuſtinuit dextera* Dei *coronatus talem poteſtatem acceperit, vt non ſolum ſuos fideles tueri, illisq; omnia corporalia atq; ſpiritualia largiri poſſit, quia verbo virtutis ſuæ* habitæ à Deo, *omnia ſuſtineat, ſed etiam in hoſtes ſuos animaduertat, antequam dies ille iudicij poſtremi adueniat, quod ex multis* Scripturæ *locis conſtat,* Pſalm. 2. Apocalyp. 2. *& alijs prorſus infinitis. Hæc infinita loca non ſunt niſi duo, ijſdem verbis & eadem ſententia ſcripti, vnus* Pſalmo 2. *Confringes eos vt teſtam, alter* Apocalyp. 2. *tanquam vaſa figuli lapide interea contorto, confringentur, quod eſt, qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, vt eum offendat, confringetur, ſuper quem autem hoſtem & inimicum lapis iſte ceciderit conteret eum,* Matth. 21.

Et hæc loca non de vi perſonæ Ieſu Chriſti, ſed de vi fidei quæ eſt in Ieſum quod ſit Chriſtus, tractant. Sed quis te docuit, & vnde habes, dexteram Dei eſſe coronam capitis Ieſu Chriſti, & non locum honorum & maieſtatis qua ornantur à Deo hi qui declarantur in reges? Vnde illud, quod nunc in dextera Dei ſedens Ieſus Chriſtus habet poteſtatem donandi ſuis bona, tam corporalia quam ſpiritualia, cum ipſe ſemper rogauerit vt primum & maximum neceſſarium donum à patre Deo donaretur Eccleſiæ, Spiritus S. ſcilicet, quod nunquã aliquando dixiſſet, aut feciſſet, ſi ipſe ad dexterã Dei ſeſſurus, poteſtatem habiturus fuiſſet cõcedendi

aliquid

aliquid suis? & vnde illud, quod ista omnia & centena alia millia similia pertineant ad inuocationem in precibus erga Iesum Christum? Cogimur, inquis, & inuocare in precibus Iesum & ardentissimo corde ad eum accedere precando eum vltro, sed quo iure Dei? qua lege? delineatione? inumbratione? Quid nos facere oportet, cum dicat Deus me solum coles, & non alium à me, & prima species cultus sit inuocatio in precibus, nisi vnum & solum Deum in precibus inuocare? Quis vnquam adorauit alium Deum, quam Deum verum, aut illum alium Deum vna cum Deo vero, qui non diceret se sua opinione co[illegible] suo desiderio duce concupiscentia, quae imponit omnibus eam consectantibus, impelli? certa persuasione quod recte faceret protrudi? Quis sanctos mortuos inuocauit vnquam, & saepe reiecto vero Deo, qui non dixerit sanctos mortuos, hanc potestatem exaudiendi mortalium preces habere à Deo? quid hic faceres? Nonne verbum Dei scriptum quaeritur & semper est quaesitum, non illud aliud non scriptum, sed illud scriptum? Habent Mosen & Prophetas, audiant illos, Hi maioris ponderis esse debent in omni controuersia, quam si quis ex mortuis excitaretur, ad demonstrandam aut intentionem quaestionis, aut depulsionem esse veram. Et quaenam rogo declaratio doctrinae vestrae & confessionis est ista, quae non nisi in alieno fundamento est aedificata? Nam quis non diceret rectius fluere, si dicas, tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, Ergo Papa, successor Petri est vicarius Iesu Christi in terris, quam sicut vos facitis per omnia superius citata argumenta vestra, ad verbum inter quae est illud, Iesus fecit miracula in terris, Ergo est inuocandus in precibus? Examinate diligenter omnia quae contra R.D. Franciscum argumenta protulistis in aciem, & videte quodnam sit illud quod satisfacere possit, vt sedet stimum humani desiderij parati addiscere ex sacris literis? Remanet igitur toto hoc labore & studio vestro argumentum R.D. Francisci, nulla ex parte violatum, vel testimonio legentiũ quod huiusmodi est. Illud solum à Christiano homine credi debet, quod in sacris Biblijs est mandatum: Sed inuocatio in precibus erga Iesum Christum in sacris Biblijs non est mandata: Ergo Iesus Christus in precibus inuocandus non est, Cui argumento succinunt verba vestra ad hunc modum, impium est adorationem & cultum diuinum, alio transferre quam quo à Deo sunt instituta, testibus Mose & Iesu Christo qui dicunt, Dominum Deum tuum coles & illi soli seruies.

Argumentum XXIX. Stephanus Actor. 7. rogans ait, Domine Iesu suscipe spiritum meum: sed iste quem rogabat Stephanus erat filius hominis Iesus Christus, Ergo Iesus Christus est inuocandus in precibus.

Responsio. Falsa est expositio Syllogismi, nam illum adorauit Stephanus dicendo: Domine Iesu suscipe spiritum meum, cui dixit Iesus Christus, suscipe spiritum meum, & quem sacra scripta faciunt, esse susceptorem animarum nostrarum, cui dixit & Dauid, in manus tuas commendo spiritum meum susceptor meus Domine, Psalm. 31. Et Iesus Christus, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, imitatus Dauidem. Ergo ad Deum patrem direxit orationem

suam

stiam Stephanus. Verborum enim græcorum Kyrie Iesu, sensus esse potest idem cum verbis Kyrie tu Iesu, vt etiam Apoc. 14, fidem Iesu. 17, testium Iesu. 20, testimonium Iesu, non autem tu Iesu græce scriptum est.

Sed sine iniuria veritatis in qua sumus, concedamus aliquid Vitrelino dicenti, Stephanus visum Iesum inuocat in precibus dicens, Domine Iesu suscipe spiritum meum, Actor. 7. Ergo dicues ille, Lucæ 16, cum viso Abrahamo dicit, pater Abrahame, miserere mei, Abrahamũ inuocat in precibus, Et discipuli Matt. 8. cum dicunt, Domine salua nos perimus, inuocabant Iesum in precibus, Et, illud Actor. 16, vir Macedo visus Paulo, per noctem in visione erat stans & deprecans eum ac dicens, succurre nobis profectus in Macedoniam, erat inuocationis. Et alia multa sunt in quibus visi videntes, aut visi à videntibus rogant & rogantur & preces fundunt & audiunt, quæ tamen non sunt pro inuocatione aut contra inuocationem in precibus de qua disserimus, quamq; dicimus soli Deo conuenire, cum inuisus Deus, verus, falsus, homo, species, numen inuocatur ad ferendam opem, ad audiendam gratiarum actionem, ad sanitatem dandam. Si igitur Stephanus visum Iesum Christum inuocat, Ergo & Macedo Paulum, & dicues Abrahamum, & Ezechias Esaiam, & populus Samuelem, & Iudæi Mosen inuocarunt in precibus, ita Deus solus non erit in precibus inuocandus, verumetiam sancti mortui, & cultus soli Deo debitus dabitur à viuis hominibus, hominibus viuis & mortuis. Non excutietur, dicis, locus iste mihi è manibus de Stephano, sed nos non excutimus, verum vt strictißime teneas hortamur, & locum illum & alios, quos nostro labore partos ex sacris tibi offerimus, vt inuoces in precibus inuisa numina Iesu Christi, Petri, Pauli, Abrahami, Mosis, Samuelis. Nunc verte te quo voles, aut Stephanus inuocauit Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, & est pro R. D. Francisco, aut Iesum Christum quem vidit in visione diffracto cœlo per medium in dextera Dei patris sedentem, & visum inuocauit, & non est contra R. D. Franciscum. Visos enim & oculos oblatos homines si putantur apud Deum plurimum valere, & nobis prodesse posse, inuocare in precibus possumus sine transgressione mandati, solum Dominum Deum tuum coles. Placuit autem mihi etiam hic ponere expositionem horum verborum, Et lapidabant Stephanum inuocantem ac dicentem, Domine Iesu suscipe spiritum meum, quam hausi ab homine non admodum indocto quoq; vtor familiarißime, quæ quamuis primo intuitu videatur esse dura nouaq;, tamen si quis penitius consideret historiam Stephani & consuetudinem testium in gente Hebraica, quorum testimonio iustus iniustus, damnatus fuit à iudice ab ipsisq; interfectus, videbit eam maxime veritati esse consentaneam consonamq;. Vult autem prædicta verba cohærere debere cum præcedentibus in hunc modum, Ac testes deposuerunt vestimenta sua, ad pedes adolescentis qui vocabatur Saulus, & lapidabant Stephanum inuocantem ac dicentem, Domine Iesu suscipe spiritum meum, dein his verbis non narrari quid Stephanus dixerit, sed quo testimonio falso vsi fuerint falsi testes in opprimendo Stephano, asserit. Sensum enim verborum, & lapidabant Stephanum inuocantem, &c. esse, quod falsi testes dixerint coram po-

pulo, vt ipsum sub prætextu iuris interficere viderentur, se eam ob causam insurrexisse contra Stephanum suo testimonio eumq; etiam nunc primos interficere, quod inuocarit Iesum & dixerit, Domine Iesu suscipe spiritum meum, alium enim præter verum Deum in precibus inuocare mereri mortem secundum legem. Huius autem suæ expositionis adducit has causas, primo quod apud Hebræos in vsu fuerit, sicut legenti scripturas sacras sedulo manifestum est, vt testes siue falsi siue veri, coram vniuerso populo narrarent causam ob quam insurrexerint cõtra eum, quem primi occidendum interficiebant. Si enim in his verbis causam contineri negaueris, palam erit, non recitari à Luca causam quæ plebi satisfacere potuisset, vt consentiret, vt factum fuit, in necem Stephani. Testimonia enim falsorum testium quæ supra contra Stephanum allata fuerunt, ipse, vel plebe teste, solide refutauit. Facile autem ipsis fuit falso dicere de Stephano quod Iesum inuocarit, quod sine controuersia omnibus capitale esse persuasum erat, quia vniuersi præter falsos testes obturarant aures cum Stephanus cœpit dicere, Ego video cœlos apertos, &c. ne audirent ipsum loquentem. Quæ res causa fuit vt Stephanus dixerit, ne statuus ipsis hoc peccatum. Voluit enim dicere, quamuis ipsi non tantum falsum de me ferant testimonium, vt me interficere possint, sed etiam tale quid contra me testentur quod me præter mortem huius corporis obnoxium etiam reddat æternis pœnis et ab omnibus ijs quæ promissa sunt populo Dei excludat, Hebræus enim factus idololatra æternis pœnis subiacet, & nullam habet partem in ijs quæ promissa sunt populo Dei, tamen oro vt ipsis hæc clementer remittere velis.

Argumentum XXX. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & à Domino Iesu Christo, 2. Ioan. 1, quo sensu scribuntur similia, 1. Cor. 1, & in alijs locis ab Apostolis, Ergo Iesus Christus est inuocandus in precibus.

Responsio. Falsam esse consecutionem ostendunt illa, dilectio mea cũ omnibus vobis, 1. Co. 16. & gratia Domini nostri Iesu Christi & dilectio Dei & cõmunicatio S. Spiritus sit cũ omnibus vobis, 2. Co. 13. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, qui est qui erat & qui futurus est, & à septẽ spiritibus septẽ Ecclesiarũ qui in cõspectu solij eius sunt & à Iesu Christo qui est primogenitus mortuorũ & princeps regũ terræ Ap. 1. Inuocet igitur Vitrelinus cũ suis Deũ patrẽ, Iesum Christum, Spiritum S. septem spiritus septem Ecclesiarum, ipsum Paulũ & cur non etiã Petrũ? & cur non omnes etiã omnium Ecclesiarũ spiritus, qui in cõspectu throni Dei sunt millies mille? Et putat Alexander gratiã Dñi nostri Iesu Christi esse eam gratiam, quam dat ex authoritate propria Dñs noster Iesus Christus, & non eam gratiam quam dat Deus pater per spiritum suum, propter fidem quæ est in Iesum Christum, quod scilicet Iesus sit Christus. Qua forma dicendi dicitur, Euangelium Dei esse potentiã Dei ad salutem omnibus ei credentibus, Et, seruator noster Deus saluos nos fecit per Spiritũ S. quem effudit in nos opulenter per Iesum Christũ seruatorẽ nostrũ, Tit. 3. Quoniã qui credebat Iesum esse Christũ, seu Euangelio dabat fidẽ nuncianti Iesum esse Christũ, salutẽ propter fidẽ suam acquirebat. Formæ aũt illæ dicendi,

Gratia

Gratia Dei ſit tecũ, Dominus ſit tecũ, pax Dei ſit tecũ, gratia fidei ſit tecũ, gratia regis ſit tecum, ſalus Euangelij ſit tecum, contributio Eleemoſynaria S. Spiritus ſit vobiſcũ & aliæ ſimiles, nõ ſunt inuocationis ſed boni ominis, ſicut cum dicitur, percutiat te Deus paries dealbate, Anathema ſit qui non amat Dñm noſtrũ Ieſum Chriſtum, manus Dñi te percutiet, malũ omen et execratio ſignificatur. Sunt enim ſimilia, Angelus Dei ſit tecum, & Angelus malus tecũ ſit, gratia Dei ſit tecum, maledictio Dei induat impios, pecunia tua tecum ſit in perditionẽ dicitur illi, verte tu orationem, & dicito, Eleemoſynæ tuæ tibi proſint ad ſalutẽ æternam. Hæc aũt non ſunt preces, ſed bene precandi & ominandi hominibus ſalutaria formæ. De poteſtate, inquit Vitrelinus, data Ieſu Chriſto in cœlo & in terra, quomodo tumultuetur Franciſcus non eſt quod multis verbis declaremus. Cum enim diſtinguit inter poteſtatẽ datam Ieſu Chriſto in cœlo & in terra, & inuocationẽ in precibus, mirum eſt quod inuocationẽ in precibus abſq; facultate præſtandi quæ petuntur cõcludit. Cæterũ niſi potentia Dei fulciret nos in noſtris precibus atq; adeo potentia Ieſu Chriſti, noſtræ preces ſubito euaneſcerent, e contrario nos ideo inuocamus Deũ prius, poſtmodũ Ieſum Chriſtũ in precibus, quod ſciamus Deũ eſſe omnipotentẽ, qui facit quæ vult in cœlo & in terra, & Ieſu Chriſto hanc eandẽ omnipotentiæ poteſtatem faciendi in cœlo & in terra, quæ vult, eſſe datã videamus. Sed quam ob cauſam non facis vt hoc ipſum & tu vides, videat etiam Lector? Videſne tu hanc omnipotentiæ poteſtatem datam eſſe Ieſu Chriſto faciendi quæ vult? vbinam? cur non citas? nam nihil adhuc eſt citatum à te quod hoc demonſtret, & ipſi Apoſtoli ex quorũ ſcriptis ſolis poſt aduentũ Ieſu Chriſti pendemus toti, quoad negotium Meſſiæ, hoc nunquam viderunt, & ſi alicubi in ſuis ſcriptis viſum iri animaduertiſſent totam illam partem aut deleuiſſent aut illuſtraſſent. Nam nunquam Ieſum Chriſtum, ſed ſemper ſolum Deum patrem inuocarunt in precibus. Si dixeris te illud videre in illa ſententia, Matt. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, vide etiam quid ſequatur in Matth. ad huius ſententiæ explicationem, Euntes ergo prædicate Euangelium, non ſicut mandaui prius ſolis ouibus palantibus domus Iſrael, Matt. 10, ſed omni creaturæ, omnibus gentibus, circumciſis & præputiatis, quam poteſtatem ante mortẽ non habebam, verum exaltatus à terra omnia traxi ad me ipſum. Ioan, 12, & omnia mihi tradita ſunt à patre meo, Matt. 11. Iſtam poteſtatem dicereſne eſſe illam, Accerſitis 12. diſcipulis ſuis dedit eis poteſtatem aduerſus ſpiritus immundos vt eijcerent eos & ſanarent quemuis morbum, & quemuis languorem, Matth. 10? Aut illam, ego ſum homo alterius poteſtati ſubditus, & tamen dico huic militi vade & vadit, & alij veni, & venit, &, principes gentium in gentes exercent ſuam poteſtatem, &, non haberes in me poteſtatem ſi non data tibi fuiſſet deſuper, Io. 19, &, ex Herodis poteſtate erat, Lucæ 23? Aut illam, habet poteſtatem abijciendi in Gehennam, Lucæ 12? Aut illam, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, Ioan. 1? Quid ego numerare pergo varia genera poteſtatum Dei, quæ hominibus fruenda, vtenda ad ædificationem Eccleſiæ cum verbi tum ferri dedit?

Quid dicis Alexander? omnem potestatem dedit pater filio super omnem carnem, vt omnis qui ex gentibus & Iudæis credit eum esse Christum parua re habeat vitam æternam, maximum omnium præmium? Recte dicis. Nam hæc omnis potestas in eo declarata est, quod vniuersitati Iudæorum & non Iudæorum, cui Deus esse Deus cœperat, prædicari cœptum est ad salutem omnis credentis, Iudæi primum & Græci, omnes cum circumcisos, tum præputiatos sperare posse salutem, qui Iesum esse Christum credere voluissent. Aut vis forsan hanc omnem potestatem datam Iesu Christo, ad omnem potestatem quæ dari potuit à Deo hominibus extendere, vt Iesus Christus per fidem quæ est in Iesum Christum, filius per adoptionem fieret Dei? Nam hæc vna inter cæteras potestates est à Deo data hominibus. Aut ad omnem potestatem quam habet Deus pater, vt ex Iesu Christo homine reddas ipsissimum Deum verum? Vbi enim tota potestas Dei veri est, ibi verus Deus sit oportet, & cum vero Deo inuocatio in precibus. Vbi autem omnis potestas à Deo data hominibus, est, ibi etiam est Euangelium virtus Dei ad salutem, sine qua virtute Euangelion nihil est, & ibi est, ius adoptionis in filios Dei, & ibi sunt ministeria illa duo administrandi Ecclesiam sermone & ferro, sed inter has potestates illa potestas inuocationis in precibus non est, quoniam incommunicabilis homini est, soli vero Deo coniuncta. Et quid rogo illa sunt? qui venit è supernis, super omnes est, qui è cœlo venit super omnes est, & omnia data sunt ei in manum, regni scilicet eius, Ioan. 3. Iesus sciens quod pater dedisset ei omnia regni sui in manus, hoc est, omnes qui ad eius regnum pertinebant, tam Iudæos, quam non Iudæos, omnem potestatem in cœlo & in terra, Ioan. 13, & dedisti ei potestatem omnis carnis. Ad quidnam? Audias, vt quotquot dedisti ei, ex Iudæis & gentibus det eis vitam æternam, omnem scilicet potestatem in cœlo & in terra dedisti ei, vt cœlo & terræ, hoc est, omnibus gentibus, ex vtroq; circumcisionis & præputij populo constantibus det eis vitam æternam, quę vita æterna est, vt mundus te cognoscat, esse solum verum Deum, & me esse Christum, Ioan. 17. Sed hæc tota potestas Iesu Christi, alia est & longe dissita ab inuocatione in precibus, & alia ab omni potentia, quæ est in solo Deo, faciendi etiam quæ impossibilia sunt. Distinguendum igitur est inter potestatem datam aliquando omnem, aliquando aliquam hominibus, & inter potestatem illam quæ nunquam est hominibus communicata, & concessa, cuius membra sunt quidem numero multa, verum nunquam ab hominibus possessa etiam ab his qui superauerunt omnes alios, in potestate habita à Deo patre, quoniam illa nunquam hominibus est data, non quidem ea distinctionis forma, vt inuocatio sit erga eum, qui potestatem non habet concedendi quæ petuntur, sed quod non, ad omnem potestatem Dei & datam aliquando, & nunquam hominibus datam referenda est inuocatio in precibus, cum ea potestas concedendi à seipso hominibus, quæ petunt, nulli communicari possit sine dono veræ diuinitatis Dei patris. Ostende igitur tu Vitreline, si non vis mendacij peragi reus, vbi R. D. Franciscus in eum referat inuocationem in precibus, in quo statuit potestatem nullam esse concedendi quæ petuntur, ostende potentiam

datam

datam Ieſu Chriſto in cœlo & in terra, vltra extendi quam ſit ampliatio regni Chriſti, oſtende phraſin hanc, in cœlo & in terra ſæpiſſime aliud eſſe, quam vbiq; gentium & terrarum, & datam eſſe Ieſu Chriſto omnem poteſtatem in cœlo & in terra, aliud eſſe quam Ieſum ex reſurrectione mortuorum, declaratum eſſe filium Dei in potentia. Oſtende poteſtatem hanc, inuocari in precibus & ex ſe exaudire poſſe preces, eſſe aliquando conceſſam à Deo patre, cui ſoli ex natura propria conuenit, Ieſu Chriſto ad dexteram patris ſedenti. Hæc ſi oſtenderis peroptime perſuadebis, & plane paratis ad hoc ſi quid ex ſacris producetur. Nam ſomnia hominum parum moramur, ex quo magnum Dominum & opulentiſſimum Papam in doctrinæ ratione reiecimus, & vni Euangelio nos dedidimus.

Argumentum XXXI. Ieſus Chriſtus viuens in cœlis ad dextram patris Dei, noſtri curam habet qui ſumus in terra, apud nos agens & regens omnia verbo virtutis ſuæ. Ergo inuocari poteſt in precibus.

Reſponſio. Falſum eſt antecedens, & conſequentia, hæc quidem, quia non omnis qui curam habet, inuocandus eſt in precibus, neq; omnem curam & curatorem ſequitur in precibus inuocatio, illud autem, quoniam ſcribitur in lege Moſis ſcriptum eſt, non alligabis os boui trituranti, num boues curæ ſunt Deo? An hoc propter nos omnino dicit? propter nos enim *miniſtros Euangelij Ieſu Chriſti in gentibus*, hoc eſt ſcriptum, *qui ſcilicet ſumus curæ Deo*, quod ſub ſpe *à Deo propoſita*, debeat is qui arat arare, & qui triturat *in Euangelio* ſub ſpe *curæ diuinæ*, ſpei ſuæ particeps eſſe debeat, 1. Cor. 9, Et quærite vos regnum Dei & iuſtitiam illius *qui eſtis miniſtri mei, lux, ſal, & fermentum mundi*, & hæc omnia adijcientur vobis *à Deo patre*, Matt. 6. Quibus in verbis & alijs quæ ſupra citauimus, inſeritur doctrina Euangelica, Deum curam omnium & maxime Eccleſiæ Ieſu Chriſti gerere, in Eccleſia autem eſſe Spiritum ſanctum Dei, qui ducat Eccleſiam in omnem veritatem, det ſapientiam & eloquentiam miniſtris, offerat auditas preces Eccleſiæ, cuius eſt aduocatus, ante Deum poſtulans vt exaudiantur. Quæ omnia ſunt demonſtrationes maximæ curæ, quam habet Deus de nobis. Vltra autem ſacra ſcripta velle ſapere, audacis temeritatis eſt & damnatæ *à* Deo, quem neceſſe eſt, ſi ſine crimine ſcire ſacra volumus, ſuis honoribus non priuare, vt illos alij donemus, eo nullam ſignificationem de donatione facta, dante. Me terrent illa vt venerer quidem Ieſum Chriſtum pro Domino meo & rege, conſpiciendo ſuo tempore in gloria ſua ſuper omnem magiſtratum, ſuper omne regnum, ſuper omne imperium, Verum ne velim de eius honoribus plus ſcire, quam ſcriptum in ſacris inueniam, dicto, ſenſu, exemplo, terrent me, terrent me, inquam, illa Paulina: Si teſtificati ſumus de Deo, quod excitauerit Ieſum Chriſtum à mortuis, *quod quidem ad magnam gloriam Ieſu Chriſti pertinebat*, quę

non excitauit, reperimur falsi testes Dei, 1. Cor. 15. Falsis autem testibus & Prophetis mortem indixit Deus in suis legibus, quantumuis ad gloriam Dei pertinere videatur, quod est annunciatum, quoniam Deus non indiget nostro mendacio & cōmentis. Quare illa sequor ne errem, & in sacris falsus testis Dei reperiar, cum habeamus eundem spiritum fidei, iuxta illud quod scriptum est, credidi *his quæ mihi dicta sunt à* Deo, & ideo *ea* locutus sum *alijs*, & nos his quæ audiuimus credimus, quapropter & loquimur. Dicere potuisset, et scripsimus. Quamobrem qui vltra ea, quæ legit scripta à sacris hominibus, qui à Spiritu sancto edocti scripserunt, sapere conatur, is vltra quam audierint Apostoli scire laborat, & plus quam Spiritus sanctus reuelare voluerit nostris sacris Doctoribus, nosse irrito studio & aduersante Minerua desudat. Neq; considerare debemus quam honorificum sit, quod de Iesu Christo dicimus, sed quam verum, modo illud statuamus, nullum esse verum in sacris assertionibus quod Spiritus sanctus non dixit. Quod dixit Moses, inquit Alexander, Deuteron. 31, esto robustus, tu filios Israel introduces in terram Canaan, quam pollicitus sum eis, & ego ero tecum, eum sensum habere debet, quem dant ei circumstantiæ locorum, qui de eadem re differunt, Ero, inquam, tecum non in mea persona, qui non sum ingressurus terram Canaan, sed in Persona Dei, perinde atque si dixisset, Ero tecum dicit Dominus, quod in multis locis est faciundum, vtputa, in verbis Angeli loquentis ad Mosen *è* rubo, Ego Deus Abrahami, dicit scilicet Dominus, & alibi sæpe. Et ita est, sed hoc ipsum etiam est faciendum in illis dictis, ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi, ne contradicat illi, me vobiscum non semper habebitis, Matthæi 26. Circumstantia enim loci vestiganda est, vt sensus verus inueniri possit, quod Iesus Christus corporaliter non erat futurus cum suis semper, verum per Spiritum sanctum, quem daturus erat *à* patre, & qui venturus non erat nisi ipse corporaliter discessisset. Et iam absoluta est disputatio, & examinatio de sententia Reuerendi Domini Franciſci, cuius sententiæ gratia oppressus est, quo iure, quaue iniuria Deus suo tempore iudicaturus est, qui nunquam necem hominis interfecti iustitiæ causa, quæ veritatem habet secum annexam, inultam reliquit. Mortuus est Reuerendus Dominus Franciscus, cur mirum? Princeps iustorum mortuus est olim, veluti impostor & seditiosus. Examinate vos fratres omnia quæ huc ego congessi, & statuite an contra veritatem Dei sententiam tuleritis. Reuocate vobis in animum quibus armis tecti contra indulgentias Papales, contra Purgatorium animarum, Papæ vberrimum & indeficiens horreum & ærarium, contra primatum Papæ pro-

pæ proximum ſummo Deo, & alicubi vltra verum Deum, ſteterint hi, qui ſub iugum Papam cum indulgentijs, cum purgatorio, cum eius primatu miſerunt, reducite vobis in memoriam quo cribro, iuſtificationis impij rationem, legis Dei puritatem, ſtatorias preces, mortuorum inuocationes, meritorũ plauſtra, relationes in Deorum numerum diſcuſſerint hi, qui cum Papa ſunt congreſsi feliciter, & Papam vicerunt miraculoſiſsime, ſi præludia huius conatus attente conſiderentur. Proponite vobis ante oculos quid illos, quibus nos in laboribus ſucceſsimus, quilibet in ſuo ordine, miniſtri vt miniſtri, & populus vt populus, contra captiuitatem hanc Babylonicam, ſub qua detinentur non adeo paucæ mentes hominnm adhuc, reddidit victores, per mortem, per vibices, per vincula, per carcerem, per tormenta, per incertas ſedes, & vagationes. Hos, inquam, omnes vt inciperent mouere bellum contra imanem belluam deceptricem Regũ, & venditantẽ ſe pro Deo, & vt belluã ex alto ſolio deijcerent, non aliud docuit, animauit, impulit, quam certæ leges, quas in ſacris Bibljs latentes vt viderent Deus effecit. Prima eſt illa, Lucæ 10, in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? qua monebantur ſcriptum ſacrum & ſcripti ſacri ſententiam, quæ non eſſent labefactanda aut vitianda quorumuis hominum opinione & iudicio, eſſe ſerio examinanda & intelligenda, eſſeq; ſacri ſcripti ſententiam ſacram non ſolum illam, quæ verbis vnius loci continetur, verum etiam illam, quæ ex collatione multorum locorum haberi potuiſſet. Altera erat, Hoc Abrahamus non fecit, Ioan. 8. Hac lege inſtruebantur diſtinguenda eſſe exempla quidem à mandato & lege, verum vbi exemplum, non aliquam legem refigebat vitiabatue, exemplum quadantenus vim habere legis, hoc ſcilicet, exemplum vbi non eſſet, ipſius defectum, eſſe legislationem, ita faciundum non eſſe. Tertia fuit, Si Abrahamus ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam ſed non apud Deum, ſed quid dicit ſcriptura? credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam, Rom. 4. Hæc lex monet ſeparandas eſſe ſacras ſententias à prophanis, & poſſe quidem hominem commentari & excogitare in laudem & honorem magnorum virorum quæ velit, prout affectu & motu animi ducitur, vtputa, Abrahamum ob id placuiſſe Deo, quod eſſet bonus & ſanctus vita & inter eos numerandus qui dicerentur filij Dei, verum hoc humanum eſſe cõmentum in quo excogitando, cauendũ ſit, ne quid fiat animi bona aut mala affectione, aut loci ſacra mala interpretatione quod ex oppoſito obſiſtere poſsit alicui ſacro dicto, vtputa, imputatum eſt ei ad iuſtitiã. Nam hæc duo, Abrahamus fuit iuſtus corã Deo, & Abrahami fides fecit, vt imputaretur ei iuſtitia, nõ videntur in cõtraria tendere & pgredi, quę tamẽ diligẽtius

explorata

explorata & sagaciter perquisita deprehenduntur, quod vnum confodit alterum & alterum cum altero consistere in veritate non potest. In hanc legem peccatur, cum animi libido non frænatur sacris retinaculis, & cum existimat se bene facere & bene mereri de eo, quem laudat suo testimonio, etiam falso, hoc est, extra id quod ex sacris nouit. Inuenimur, inquit 1. Cor. 15, in hoc proposito, & falsi testes, & qui ex propriis loquitur mendax est, & gloriam propriam quærit, cum præ se ferat gloriam alienam, eius scilicet, quem laudare studet, quærere. Quarta est illa, Ioan. 7. Circumcisio non est ex Mose sed ex Patribus, Moses ex duritia cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non erat sic, Matt. 19. Hac lege docebantur discernere inter ea quæ erant ex Patribus & ex Deo, & quæ erant ex Mosis diuinis legibus, & illa altera quæ ex vesana interpretum doctrina prouenerunt, diuidentium quę Deus coniunxisset & abrogantium mandata Dei propter traditiones humanas. Ita illi his legibus protecti & muniti, se errare posse non crediderunt, si, quod scriptum esset verbo, exemplo, collatione locorum, intentiore perspicientia scripti, sequerentur, reijcerent vero quod non esset scriptum, verbo, exemplo, locorum consonantia, & scriptornm accurata, sicut in Cicerone, in Plinio, in Suetonio fit, examinatione, & cum Papa consertis viribus, magnas copias ducentem Papam deiecerunt, conculcarunt, pessum dederunt, tantum, scilicet, Dominum Papam? Has leges vobis vos ipsi proposuistis, cum non territi clamoribus & interminationibus eorum, qui dicebant vos Iesum Christum, vos Spiritum sanctum, sua diuinitate denudare impiè & sacrilegè, Iesum Christum & Spiritum sanctum eo in loco constituistis, vbi Deus eos posuit, & ipsi esse volunt & cupiunt, & vbi sacra scripta ipsos esse dicunt, vltra quæ, & citra quę, hominum conatus & studia nihil valent, nihil promouent, nihil proficiunt. Et quid est, quod nunc ab harum legum conseruatione vos abstraxit & per deuia duxit, vt, quod nec verbum Dei docet, nec exempla, quæ in sacris legibus lucent, monent, nec conuenientia locorum suadet, nec alicubi in sacris extat, propter receptas quorundam & impressas animo consultationes asserere, & acriter suadendo, & alienis & quæstioni nõ conuenientibus sententijs, defendere volueritis? Quare destruitis mandatum Dei veri quem adoratis, Iesu Christi quem merito veneramini, sanctorum Apostolorum quos suspiciunt omnes, propter traditionem Papistarum? Nam si bene præteritorum annorum errores, in quos duce Papa collapsi sunt homines, & species eorum & formas vobis reducitis in memoriam, & in eos intenditis oculos diligentius quam adhuc feceritis, vnum ex illis & quidem secundo ordine maximum esse intelligetis,

istum

De causa D. Franciſci Dauidis.

ſtum de Ieſu Chriſto in precibus inuocando errorem. Habetis hic fratres confutationem eorum omnium, quæ ab aduerſariis in negotio, de non inuocando in precibus Ieſu Chriſto, contra Franciſcum Dauidis allata fuêre. Veſtrum eſt hæc ſedato & pio animo conſiderare. Ac depoſitis omnibus affectibus, ſeriò cogitare, & incumbere in his, quæ faciunt ad gloriam Dei, & ſalutem noſtram, eaq; pro firmis & veris ſtatuere, quæ in oraculis prophetarum & apoſtolorum ſunt manifeſtata. Quod largiatur omnibus ipſum quærentibus, Deus ille vnus, pater Chriſti, qui laudetur in ſecula. Amen.

FINIS.

OAKLAND PARK
UNITARIAN CHURCH

Vége.